





Lagi Cesperi

Ddalg. Vogllang Sacul

S. Sevastiani 1769



Jussit Septem diebus conuiuium præparari in vestibulo hortj.
Ester. C. 1.

J.C.Guttwein sc:

SACRA MYSTARUM HEBDOMADA,

Sive

QUOTIDIANA

PRO

SACERDOTIBUS

piè celebrandi,

SEPTENARIA VERÒ

PRO LAICIS

devotè communicandi

FORMULA,

Sacris è Litteris, Patribusque

COLLECTA

à

R.P. CAROLO SERVINO,

Societatis JESU Sacerdote.

NOVA EDITIO.

Cum Facultate Superiorum.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,

Typis Mariæ Magdalenæ Utzschneiderin.

M. DCC.





CHRISTO JESU
Servus humilis.

CUm tuam dignitatem Domine, & meam vilitatem penſo, valdè contremiſco, & in meipſo confundor. Si enim non accedo, vitam fugio; & ſi indignè me geſſero, offenſam incurro. Quid ergo faciam, DEUS meus, auxiliator meus, & conſiliator in neceſſitatibus? Tu doce me viam rectam, propone *breve aliquod Exercitium Sacræ Communioni congruum.* Utile eſt enim ſcire qualiter, ſcilicet devotè ac reverenter tibi præparare debeam cor meum, ad *recipiendum* ſalubriter tuum *Sacramentum* ſeu etiam *celebrandũ* tam magnum ac divinum *Sacrificium.*



Imit. Chr. l. 4. c. 6.

Qui timent Dominum, Præparabunt Corda Sua. Eccl. 2.









Et ego Sagittas mittam juxta eum et jaciam quasi exercens me ad Signum. Reg. C. 20.

J. C. Guttwein sc:



IN

PROPOSITAM

SACRÆ MYSTARUM Hebdomadæ. DELINEATIONEM

Septenarium diſtichon.

1\. *QUid Septena volunt in cordis imagine ſigna?*
Quid canit hic medius luce micante Calix?

2\. *Scilicet iſta notant varios pro tempore motus,*
Quos pia mens feſto gaudet habere die.

3\. *Tales ipſa fovet* Myſtarum *turba ſub imo*
Pectore, cum divas ſuſcipit ore dapes.

 4. Nam

4. *Nam* corde 1. atteritur. 2. purgatur. 3. lucet, 4. & ardet.
5. Compatitur. 6. Moritur. 7. jungitur *inde* DEO.


5. *Ergo per hæc si vis conjungi vincula Christo,*
Disce modum, parvus quem docet iste liber.

6. *Parvus mole liber, Scriptoris nomine parvus,*
At finem illius respice, magnus erit.

7. Finis *hic* Hebdomadæ Sacræ *parvique libelli*
Finis *hic est unus*, Gloria magna DEI. (*a*)

(*a*) S. *Ignatius Martyr ep. ad Eph. Eucharistiam vocat Gloriam DEI.*

SA-



SACRÆ MYSTARUM Hebdomadæ *totiusque Formulæ* *SYNOPSIS.*

PIO LECTORI.

ECce tibi, *mi Lector*, Si tu quidem Sacerdos, *Quotidiana piè Celebrandi*; sin autem Laicus, *Septenaria devotè Communicandi* FORMULA sacris è Literis, Patribusque collecta, in qua *septem Exercitia* juxta septiformem *Animæ* 1. *Pœnitentis.* 2. *Purgatæ.* 3. *Illuminatæ.* 4. *Amantis.* 5. *Patientis.* 6. *Morientis.* 7. *Unitæ-DEO* statum, tibi sic proponuntur, ut sive Laicus sis, sive Sacerdos, certè quidem *Mysta*, hoc est latinè,

ſacra diſcens, vel myſteriorum peritus, indè præcipuos
1. materia. virtutum actus poſſis elicere, ex ipſa quaſi *Materia* ſeu contemplatione Generalium ſeptem.

Patris Æterni Beneficiorum.

1. Creationis. 2. Conſervationis. 3. Vocationis. 4. Juſtificationis. 5. Redemptionis. 6. Electionis. 7. Glorificationis.

Incarnati Verbi Officiorum.

1. Patris ac Nutritii. 2. Regis ac Domini. 3. Paſtoris ac Magiſtri. 4. Convictoris ac Dilecti. 5. Adjutoris ac Medici. 6. Comitis ac Judicis. 7. Præmiatoris ac Sponſi.

Spiritus ſancti Donorum.

1. Sapientiæ. 2. Intellectus. 3. Conſilii. 4. Fortitudinis. 5. Scientiæ. 6. Pietatis. 7. Timoris Domini.

Hinc

Hinc autem elicitos actus exercere poteris *hâc Formâ.* II. Forma.

Ante Missam quidem 1. per *Excitatoriam*, dum surgis è lecto, *mentis Aspirationem.* 2. Per *Invitatoriam*, dum vocaris ad sacrum, *animi Consideratio-nem.* 3. Per *Inflammatorios*, dum accedis ad altare, *cordis Affectus.*

In Missa verò per *Jaculatorias septem preculas* facularum instar evibratas. 1. Sub initium, ad modum *Purgativi Gemitus.* 2. Circa medium, ad modum *Illuminativi Desiderii.* 3. Sub finem, ad modum *Unitivi Suspirii.*

Post Missam denique 1. Per *Vocem Laudis* cum Cœlitibus cantatæ variam. 2. Per *Gratiarum Actionem* Æterno Patri redditam, & Oblationem Christo Domino factam, *pro-*

positumque Spiritui Sancto juratum. 3. Per *septem Petitiones* ad SSS. Trinitatem directas, & interposito SS. Patronorum suffragio transmissas *favente Mariâ*.

Quod si hæc *Formulæ nostræ Forma*, tibi, *mi Lector*, videatur longiuscula, memineris te, uti monet B. Magdalena de Pazzis, opus maximum, quod in orbe fieri potest, cùm DEUM suscipis, peragere; nec ullum esse in tota vita tempus, pro consequendis gratiis pretiosius, quàm suscepto Christo Evcharistico, cui nos purificare, illuminare, & sanctificare volenti, subtrahere non debemus; ne fortè, vel impio assimilemur Judæ, qui acceptâ buccellâ *Continuò exivit*; vel præsente adhuc hospite, domo egredia-

Ioan. 6.13.

diamur, & ad alia negotia præproperè nos ſurripiamus; præſertim cùm eo nos *Fine* Dominum ſuſcipiamus, ut per optanda gratiæ, virtutum, ac meritorum incrementa, nobis primùm, deinde proximis impetremus à DEO *Sacrum hoc Septenarium*, videlicet. 1. Orationis Dominicæ ſeptem Petitionum *Effectum*. 2. Angelorum erga nos ſeptem Officiorum *Subſidium*. 3. Miſericordiæ ſeptem Operum *Exercitium*. 4. Eccleſiæ ſeptem Sacramentorum *Fructum* cuique congruum. 5. Capitalium ſeptem Peccatorum *Trophæum*. 6. Evangelicarum ſeptem Virtutum *Studium*. 6. Sancti denique Spiritus ſeptem Donorum *Complementum*. III. *finis.*

IV. *Effectus.*

Par fini reſpondebit *Effectus*

ctus, Deo dante, *ſeptenarius*, fructus, inquam, pietatis in SSS. Trinitatem, cuius hic una gloria ſpectatur. 2. In Hominem-Deum *JESUM Chriſtum*, cuius vita, morsque recolitur. 3. In Sacroſanctum *Evchariſtiæ* Sacramentum, cuius præcipue cultus intenditur. 4. In B. *Virginem Mariam*, cuius patrocinium imploratur. 5. In *SS. Angelos*, præſertim *Cuſtodes*, quorum officia recenſentur. 6. In reliquos *Beatos Cœlites*, quorum ſuffragia ambiuntur. 7. Denique in omnes Chriſti *fideles* tam vivos, quàm *moribundos*, atque *defunctos*, pro quibus hîc oratur.

V. Titulus. Sed cur ipſo *Titulo*, Formulâque totâ *ſacrum* affectatur *Septenarium*? Quia nimirum celebrando ſacro Myſterio ſa-

ſacer hic eſt, & *Myſticus* in Scriptura ſacra *numerus*; præſertim ubi de ſacrificiis agitur. Sic enim ibi legere eſt.

Septem diebus expiabis altare.
Septem diebus conſecrabis manus. Exod.
Septem diebus offeretis ſacrificium.
Septem diebus comedetis azyma. Levi.
Septem diebus celebrabitis ferias,
Septem diebus dedicavit altare. Para.
Septem diebus ſolemnitatem fecit.

Hîc omitto ſeptem panes, ſeptem tauros, ſeptem vitulos, ſeptem agnos, ſeptem buccinas, ſeptem lucernas, ſeptem choros ante Arcam; de quibus & aliis eiusmodi ſeptenis paſſim ibi ſit mentio ad ſingularem *huius Septenarij* commendationem. Quem quidem numerum nos quoque proſecuti, *Septenis Myſtarum Exercitiis*, ſeptenum cum *Emblemate* ſepteno ſeptenis Di-

Diſtichis expoſito, nec non *Exemplis* illuſtrato, *Præludium* indidimus, ſeptenasque Evchariſtiæ à SS. Patribus collaudatæ *Reliquias* ſepties ſepteno *Carmine* colligatas iisdem ſubjunximus, & hoc uno jam diſticho!, tibi *Lector*, præmonſtramus.

Evcharis una mihi. 1. Cibus eſt. 2. Fons. 3. Lumen. 4. Et Ignis.
5. Victima. 6. Vita. 7. Salus: Cætera dicet amor.

VI. *uſus.* *Uſus* porrò Formulæ non unus eſſe debet, ſed varius, pro vario Communicantis affectu. Nam modò juvabit Exercitium ferè totum legere; modò ſufficiet una duntaxat illius particula, quâ velut excuſsâ ſcintillâ concipiatur *Ignis Holocauſti*, totusque cordis inflammetur affectus. Et

Et ne qua ſatietas ex uniformitate quadam Exercitii fortè animo ſubrepat, ſeptena ipſa varietas poterit hoc modo *Variari.*

VII. Variatio.

Novus quotidie ſeligetur unus è Cœlitibus Patronis v. g. die lunæ S. Angelus Cuſtos, quo duce te ad Synaxim pares. Novum item quotidiè proponetur unum *Invitatoriæ Conſiderationis* punctum, quo piè motus accedas. Novum denique ſumetur de poſitis *Affectuum Incentivis* unum, quo tuus in Chriſtum, ut Patrem, ut Regem &c. Debita cum reverentia ſuſcipiendum, animus inflammetur. Ad extremum idem *in Miſſa & poſt Miſſam* cum proportione præſtabis, ut ſic novo quotidie pietatis ſenſu in Domino Deo tuo lætificeris. *Vale.* AD



AD

EXERCITIUM I.

SACRÆ MYSTARUM Hebdomadæ.

DIES PRIMUS

DEO. O. M. & SS. Angelis

CONSECRATUS.

ANimæ pœnitenti, cui primus in via ſpiritali gradus eſt odium & fuga peccati, primum hoc proponitur Exercitium, ipſo die Lunæ, remiſſioni peccatorum vivis æquè ac defunctis impetrandæ ſacro, vel alio quovis, ubi de S. Angelis fit aliqua mentio, peragendum, ut cum affectu doloris & confidentiæ filialis accedat ad Patrem Evchariſticum JESUM Chriſtum, qui pro ſua bonitate pec-

peccatores olim prodigos, nunc pœnitentes filios paterno excipit convivio, Angelico reficit pane, suo cibat corpore, & eodẽ quasi antidoto cœlesti reparat, ac sustentat.

Ad hunc igitur finem ut Mysta perveniat, septenario illo, quo de suprà dictum est, procedit gradu. Ac primò quidem in Emblemate sequenti sibi graphicè depingit pœnitentis Animæ Synaxim. Sicut enim Mustella rutæ succo pasta, contra serpentes valet; sic anima, suscepto ritè Sacramento, contra suæ salutis hostes prævalet. Nam, ut ait S. Cyprianus: *Sacramentorum Communicatio, per quã Christi Corporis sinceritati unimur, nos in tantum corroborat, ut de mundo, de diabolo, de vitiis ipsis victoriã potiamur.* *serm. de Nat.*

IN



IN SYNAXIM

ANIMÆ POENITENTIS

Septenarium diſtichon.

1. HEu ego peccavi! Deus ô tua numina læſi!
   Ah pudet! ah ſceleris pœnitet usq; mei!
2. *En pertæſa mali ſacras proſternor ad aras,*
   Et propè deficiens, præda paror colubris.
3. *Aſpicis, Alme Parens, non uno vulnere læſam!*

Aſpi-

Aſpicis, & miſeræ jam miſeratus ais.

4. *Surge age, ſume cibum, tibi* *cor* reparatur ab eſca.
Nec Mora; ſurgo, epulor; cor valet, atque viget.

5. *Ut Muſtella fero colubri violata veneno,*
Rutæ, quam comedit, vi reparata valet.

6. *Sic reparor, valeoque Sacris mens prodiga quondam,*
Reddita nunc patriis ædibus, atque cibis.

7. *O Sacra Ruta meo dudum quæſita dolori?*
Sis medicina meæ, visque ſalusque animæ.

EXEMPLA.

SIc D. Auguſtinus olim pœnitens ante aras gemebat, ſuæque delicta juventutis adSacra quotidie deflebat.

Sic B. Ignatius de Loyola in secessu Manrezano, repetitâ post cruentam flagellationem, peccatorum exhomologesi, sacram ad Synaxim accedebat. Sic B. Magdalena de Pazzis S. Magdalenam Pœnitentem, & Martham eius sororem in excipiendo Christo sollicitam imitabatur. Nihil non agebat, ut Domino gratum pararet in corde suo convivium. Illi dolor & lachrimæ, timor & fiducia, puritas, & charitas, cæteræque virtutes inserviebant. Per diem ita disponebat reliqua, ut omnia exercitia nihil aliud viderentur esse, quàm præparatio ad Communionem, ex qua mirabiles illos, quos legimus in eius vita, fructus percipiebat. Hæc tu quoque, Mysta, quisquis es, imitare.

EXER-



EXERCITIUM I.

ANIMÆ POENITENTIS
Ad DEUM & Hominem
JESUM CHRISTUM
ut Conditorem, ut Patrem
ut Nutritorem
EVCHARISTICUM
ACCEDENTIS,
Per affectum doloris &
confidentiæ filialis.

ANTE MISSAM

EXCITATORIA
Aſpiratio.

MATUTINO ſuſcitatus è ſomno cõverte protinùs ad DEUM mentem, & ad Angelum Cuſtodem tuum, ita tecum loquentem:

Sur-

Act. c. 12. *Surge velociter, circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me.*

Nec mora; surge, indue te, & cum pœnitente Prodigo sic aspira:

Luc. 15. *Surgam & ibo ad Patrem meum, & dicam ei; Pater peccavi in cœlum & coram te.*

INVITATORIA

Consideratio.

AUDITO ad Missam campanæ pulsu, *Considera* te vel calamitosum peccatorem, vel inobsequentem Filium, vel ingratum alumnum, à Christo tuo beatissimo Conditore, indulgentissimo Patre, benignissimo Nutritore, per S. Angelum Custodem tuum, aut alium è Patronis Angelicis unum, non ad meritam pro tot criminibus vindicationem, sed ad paternum il-

illud Convivium, in quo Angeli Dei gaudent super uno peccatore pœnitentiam agente, benevolis his vocibus invitari:

Zachæe, festinans descende, quia hodiè in domo tua oportet me manere. Luc. c. 19.

His imbutus cogitationibus pete sacram ædem, ibique jam motum pœnitentiâ tuâ Patrem filiali confidentiâ sic affare.

INFLAMMATORIUS
Affectus.

1. PAter, peccavi in Cœlum, & coram te; jam non sum dignus vocari Filius tuus. Tu tamen misericordiâ *ibid.* motus prævěis me gratiâ tuâ, accurris in amplexus meos, & oscularis me. Nec satis. Abluis me pœnitentiæ lacrimâ, induis me stolâ primâ, excipis me

Petr. Cell. l. de pan. me mensâ tuâ, epularis mecum & gaudes, quia perieram, & inventus sum. O paterna viscera! ô mensa visceribus misericordiæ plena!

Aug. 2. Eia! mi Conditor, ecce aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Sed oro te, post oblivionem veniat commemoratio; manducetur à me panis *Tertul. de Resur.* de Cœlo, ut anima mea de te vivat Deo meo. Dum enim caro Corpore & Sanguine Christi vescitur, anima de Deo saginatur.

3. Nunquid oblivisci potest Mater infantem uteri sui? Et certè, si illa oblita fuerit, tu Pater promisisti te non oblivisci. Ecce clamo, & non exaudis me; dolore crucior, & non consolaris me. Quid dicam, vel quid faciam

ciam miserrimus? Da mihi Filium tuum, alioqui moriar. Quomodo enim possum vivere sine vita, sine JESU corde meo, sine Christo cibo meo?

4. O Christe Nutritor & cibus meus! ecce tu quasi Nutritius Ephraim declinas ad me peccatorem, deserens regna Cœlorum, ut mecum vescaris assumptâ formâ hominis, mihique das esum Corporis tui, ipse cibus & conviva. O cibus! ô conviva! quis mihi dabit, ut venias in cor meum, & inebries illud, ut obliviscar omnia mea mala, & te solum amplectar bonum meum?

Hier. in Oseæ c. 11.

Aug. l. 1. c. 5. Conf.


5. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator DOMINUS, escam dedit timentibus se.

Psal. 11.

Aug. Psal. 110. Sed quam eſcam? Carnem ſuam. Certè nemo talem eſcam daret, niſi miſericors, & miſerator Dominus.

Psal. 101. Bern. in cant. 6. Potum meum cum fletu miſcebam. Potus meus, Chriſti ſanguis; fletus meus Angelorum vinum; hoc cum illo miſtum, quales delitias animæ, quale gaudium Angelis parit? Ite igitur, ite nunc lacrimæ meæ, perfundite latus illud, unde exivit ſanguis & aqua. O ibi quàm dulcia miſcebuntur pocula! quanta gaudia pœnitenti!

Iob. c. 3. Aug. ſerm. 13. de temp. 7. Antequâm comedam, ſuſpiro, panis videlicet Angelici deſiderio. Dominus enim Angelorum factus eſt homo, ut panem Angelorum manducaret homo. Panis Angelicus fit Panis hominum! ô res mirabilis, manducat Dominũ pauper ſervus & humiils.



IN MISSA

JACULATORIÆ FACES Animæ Pœnitentis.

1. *Ad Confessionem.*

Cum Davide.

Ah Pater! tibi soli peccavi, & malum coram te feci! *Psal.* 50.

2. *Ad Introitum.*

Cum Ieremia.

Misericordiæ DOMINI, quia non sumus consumpti! væ nobis, quia peccavimus! *Thre.* c. 3.

3. *Ad Offertorium.*

Cum Isaia.

Anima mea desideravit te in nocte. *Isa.* 26.

4. *Ad Elevationem.*

Cum Publicano.

DEUS! ô DEUS propitius esto mihi peccatori. *Luc.* 18.

5. Ad Communionem.

Cum S. Bernardo.

In Iubilo. O Jesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animæ
Te quærunt piæ lacrimæ
Et amor mentis intimæ.
Jesu spes Pœnitentibus!
Quàm pius es petentibus!
Quàm bonus te quærentibus!
Sed quid invenientibus?

6. In Communione.

Cum S. Petro.

Luc. c. 5. Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.

7. A Communione.

Cum Zachæo.

Luc. 19. Ecce dimidium bonorum meorũ, Dñe, do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum; reddo pro me teipsum, reddo pro te, meipsum, quem recuperasti. venisti enim salvum facere, quod perierat.

POST MISSAM

Vox Laudis.

Huc Angelorum Chori
Cœlestis aulæ musici,
Festo volatu pergite,
Christoque laudem dicite.

Benedicite Domino omnes virtutes eius, Ministri eius, qui facitis voluntatem eius. *Psal.* 102.

Confitemini illi quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. 135.

Quia in humilitate nostra memor fuit nostri, & redemit nos de inimicis nostris.

Qui dat escam omni carni,
Carnem suam Peccatori,
Peccatori pœnitenti,
Pœnitenti quem in Sacro
Miseratus Sacramento,
De cruore potat suo,
Suo saginat Corpore.

Angelico tu quoque paſta cibo, benedic anima mea Domino, & noli obliviſci omnes retributiones eius.

Non enim ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundũ iniquitates noſtras retribuit nobis; ſed quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt nobis.

Illum ergo collaudemus,
Illi ſimul ter cantemus,
Tibi laus & gloria.

Procidamus ante thronum eius, & cum Angelis ipſis ſine fine dicamus; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens, qui eras, qui es, & qui venturus es.

Tibi Laus & Gloria.

Dignus es Dñe Deus noſter accipere gloriam, & honorẽ, & virtutẽ, quia tu creaſti omnia. *Tibi Laus & Gloria.* Amẽ.

GRA-



GRATIARUM

Actio.

PATER misericordiarum. tibi gratias ago pro cunctis miserationibus tuis. Tu factor omnium DEUS, licet in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen esse crederis in operibus pietatis. Nullum enim spernis, neminem abijcis, neminem perhorrescis, nisi fortè, qui amens te exhorruerit. Ergo iratus non modò non percutis, sed te irritantibus, dona, si quieverint, tribuis. DEUS meus, cornu salutis meæ, & susceptor meus, ego infelix, ego te irritavi, ego malum coram te feci, furorem tuum provocavi, iram promerui; peccavi, & passus *Aug. med. c. 2.*

es; deliqui, & adhuc ſuſti-
nes; ſi pœniteo, parcis; ſi re-
vertor, ſuſcipis; inſuper
dum differo, præſtolaris. Re-
vocas errantem, invitas re-
pugnantem, expectas tor-
pentem, amplexaris redeun-
tem. A ruina ſuſcitas, poſt
lapſum reparas, petenti lar-
giris, quærenti inveniris, &
pulſanti aperis. Ecce Do-
mine DEUS ſalutis meæ,
quid reponam, neſcio; quo-
modo reſpondeam, ignoro,
niſi per JESUM Chriſtum
Filium tuum. Illum igitur
unigenitum tuum, Verbum
carnem in utero Virginis fa-
ctum, in ſtabulo natum,
octavo poſt die circumci-
ſum, vocatum Nomine JE-
SUM, in Templo tibi præſen-
tatum offero pro cunctis tuis
erga me beneficiis, ac nomi-
na-

natim pro beneficio Creationis (*Hic fusiùs recolendum, quis, quid, ubi &c. te creavit Deus*) pro gloria & exaltatione SS. Angelorum ac præsertim illius, quem corporis & animi mei Custodem, pluriumque mihi bonorum authorem & procuratorem dedisti.

Sumet Oblatio.

Tibi verò, Domine JESU, quid offeram pro tuis in me meritis plusquàm paternis? Nam parentes quidem aliis sæpe filios tradunt alendos, tu autem non ita, sed carnibus tuis nos alis, & temetipsum nobis apponis, nos omnes generosos esse volens. Ecce Domine, in simplicitate cordis mei offero meipsum tibi hodie in servum sempiternum, in obsequium, *Chry. hom. ad popu.* *Imit. Chr. l. 4. c. 9.*

& in ſacrificium laudis perpetuæ. Suſcipe me cum hac ſancta oblatione tui pretioſi Corporis, quàm tibi hodie in præſentia Angelorum inviſibiliter aſſiſtentium offero, ut ſit pro me, & pro cuncto populo tuo in ſalutem. Offero etiam tibi omnia peccata mea ſuper placabili altari tuo, ut ea comburas igne charitatis tuæ. Tu interea loquere, Domine, quia audit ſervus tuus. (*hic tantiſper ſilendum, & audiendus in corde Chriſtus.*)

Animi Propoſitum.

Veni, jam veni Sancte Spiritus, mundator ſcelerum, fortitudo fragilium, orphanorum pius Pater, veni, & miſerere mei. Ecce ego coram te, coram SS. Angelis tuis, coram hac Sacra Men-

Aug. med. c. 9.

Chri. hom.

Mensa, cui ministrant Cherubim, ad quam descendunt Seraphim, quâ saginantur omnes Spiritus cœlestes; Propono debitam pro peccatis meis pœnitentiam agere, declinare à malo, & facere bonum. Statuo præterea DEUM & Hominem JESUM Christum filiali corde colere, vereri, diligere. Volo denique vitium N. (*Unum aliquod in particulari, quod sibi quisque seliget impugnandum*) fortiter impugnare; nec non & virtutem N. (*unam similiter exercendam sibi quisque seliget*) pro viribus exercere. *de S. mens.*

Tu me labantem sustine, firma, rege.

Septem Petitiones.

Pater noster excellens in creatione, suavis in amore, di- *Man. soda-lita.*

dives in hæreditate. Qui es in Cœlis ſpeculum æternitatis, corona jucunditatis, theſaurus felicitatis, invoco per JESUM Chriſtum Filium tuum. Quid enim dulcius, quàm Genitorem in Nomine unigeniti invocare? Te, inquam, per ipſius pro nobis in horto capti, totâ Urbe tracti, in prætorio cæſi merita infinita precor;

1. Sanctificetur nomen tuum, ut mihi ſit ſemper mel in ore, melos in aure, jubilus in cor-

1. de. Da fidam S. Raphaelis Archangeli, unius ex ſeptem, qui aſtant coram te, Angeliquemei Cuſtodis tutelam, ut eâ jugiter protectus, inter omnes viæ ac vitæ huius varietates, paratum in te refugium, portum, ac remedium inveniam. Amẽ.

Chri-

Christe Domine, Verbum Patris, qui venisti, in hunc mundum peccatores salvos facere, rogo te per indulgentissima animæ tuæ viscera, emenda vitam meam, meliora actus, compone mores, tolle de me, quod mihi nocet, & tibi displicet; & da quod nosti tibi placere, & mihi prodesse. Tu es, qui justificas impios, & vivificas mortuos propter peccatum; qui mutas peccatores, & non sunt. Tolle ergo de me, quidquid tibi displicet in me. Da mihi, da Christianis omnibus mutuas nobis offensas remittere, ut nos in proximum nostrum misericordes, ipsi quoque misericordiam consequamur. Da cunctis etiam peccatoribus dignos pœnitentiæ fructus face-

Aug. med. c. 36.

III.

Mat. c. 5.

IV.

cere, ut in priſtinam tecum gratiam redire mereantur. Amen.

Te quoque ſanctiſſime
V. Spiritus, per SS. Angelo-
Eccl. rum ſuffragia, precor, A-
verte à me ardorem Avari-
VI. tiæ. Avaro enim nihil eſt
1. *Ti-* ſceleſtius. Da paupertatis
moth. Evangelicæ Studium, ut ha-
bens alimenta, & quibus te-
gar, his contentus ſim. Da
VII. mihi denique donum intel-
lectus, ut ſcruter legem tu-
Pſal. am, & cuſtodiam illam in
118. toto corde meo.

Hæc eadem, ô beata Trinitas, à te poſtulo pro conſanguineis, pro civibus, pro incolis & accolis meis, ac nominatim pro N. N. ut cum debito ſancti doloris, & confidentiæ filialis augmento, legem tuam adimpleamus.

Re-

Regina Angelorum ora pro nobis, & impetra vivis veniam, & gratiam; moribundis opem, & viaticum; defunctis requiem, & gloriam sempiternam. Amen. *Blosius.*

✝
IHS



EV-

EVCHARISTICI CONVIVII

RELIQUIÆ

diurnas ad Horas sepositæ

Mystæ Pœnitenti.

Ruth. c. 2. *Comeditque, & saturata est & tulit Reliquias.*

S. EVCHARISTIA *est*

Aug. in Ps. 33. 1. Cibus Angelorum

1. *Moribus Angelicis vivat, qui Corpore Christi*
Pascitur; Angelicos vult cibus iste viros.

Theodoret. de Provid. 2. DEUS Nutritor, cibus. & conviva.

2. *Cur cibus, & conviva suis fit Christus alumnis?*
Ut Nutritorem se probet esse DEUM.

Ambro. de bene Patri. 3. Christi caro, bona stola.

3. *Quem scelus infecit; Christi caro sancta refecit;*
Hinc bene mens degit, quem stola sacra tegit.

4. Vi-

3. Vitulus ſaginatus ad pœnitentium ſalutem immolatus. *Hier. Ep. l. 46.*

4. *Divino paſtus Vitulo, quid prodigus addam?*
Ritè ſatur Patri cantica grata canam.

5. Mannæ ſuavitas. *Fulb. Ep. l. 46.*

5. *Ite procul dulces epulæ, laudataq; Regum*
Fercula, Chriſtiferum plus mihi Manna ſapit.

6. Medicina peccatorum. *Ambro. de Sacr.*

6. *Si tibi, Myſta, malè eſt, medicinam ſume; quid hæres?*
Hæc mala cuncta fugat, quæ bona cuncta creat.

7. Maximum juvamen defunctorum. *Cyril. Hier. cath. c. 5.*

7. *Quid juvat iſte cibus, defunctas corpore mentes?*
Illis ſit potus, qui fuit antè cibus



AD

EXERCITIUM. II.

SACRÆ MYSTARUM

Hebdomadæ.

DIES SECUNDUS,

Deo. O. M. & SS. Patriarchis

CONSECRATUS.

In 1. Cori. c. 2. QUàm exigit animi puritatem D. Hieronymus, cum ait, oportet cessare à vitiis, ut sanctum Domini Corpus sanctè accipias; eam sibi sufficere nequaquam putant *Evcharistiæ* Cultores. Munditiem exquirunt, quàm S. *Hom. 61. ad pop.* Chrysostomus, factâ comparatione, sic proponit. Si Babylonii pueri prophano Regi ministrantes, sine macula esse debebant, multò magis, inquit,

quit, nos ſanctæ Menſæ aſſiſtentes ſpecie pulchros eſſe decet, aureum animæ mundum habentes. Nobis itaque purgatis *Secundum* hoc proponitur *Exercitium* die Martis Regiis Chriſti Regis præconibus ac Patriarchis honorandis idoneo, vel alio quolibet, pertractandum, ut cum affectu *puritatis*, ac *reverentiæ* famularis, ad Evchariſticum Regem longè puriſſimum accedamus. Ad hoc nos invitat & *fons & Cygnus* in appoſito *Symbolo* depictus. Sicut enim Cygnus in pellucido fontis alueo candorem ſuum ſervat atque auget, ſic animus ab omni labe purgatus in ipſo totius puritatis fonte magis in dies, ac magis purificatur.



IN SYNAXIM

ANIMÆ PURGATÆ

Septenarium diſtichon.

1. SI quid adhuc reſtat maculæ, næviq́ue prioris,
Id purgare ſacris, mens mea quærit aquis.

2. Allicit ad fontem ſalientis gutturis humor;
Sed revocat cœno vis inimica meo.

3. Hîc ego quid facerem, niſi me Rex Chriſte juberes,
Antè lavare pedes, quàm relevare ſitim?

4.

4. *Ergo manus, faciemq; lavo, pectusq;, pedesq;;*
Cor lavo præterea terque quaterque meum.
5. *Ut niveas puro pennas licet albus in alveo*
Hauſtâ Cygnus aquâ purificare ſolet.
6. *Sic mea mens, ſic cor* extrà mundatur & intùs,
Cum ſine labe ſuum ſuſcipit ore DEUM.
7. *O Rex purpureo decora me ſanguine ſervum*
Chriſte tuum; Domini me decet iſte color.

EXEMPLA.

Lliaceus is erat color S. Ludovici Galliæ Regis, quippe qui ſæpe purpuram cum ſtola ſuam in ſanguine Agni dealbabat, cum in hoc fonte ſe abluens humanæ fragi-

gilitatis maculas abſtergebat. Eodem ſe Regis Regum decorabat ornatu B. Comes Elzearius, quoties ipſe cum ſuis, quos omnes caſtos eſſe ac puros volebat, divino fruebatur Epulo. Ad illud animum cùm pararet ſuum B. Margaretha Regis Hungarorum filia, ſuis ſe lacrimis, ab elevatione Hoſtiæ usque ad Communionem, indeſinenter manantibus, abluebat. Sacramentum verò ipſum cum magna devotione ac reverentia ſumebat; tum deinde porrecti Communicantibus aliis Chriſti Corporis intuitu recreabatur. O nos felices, ſi puris iſtis mentibus aſſimiles, puras de puro fonte Sacramenti, cordis puri delitias hauriamus!

EXER-



EXERCITIUM II.

ANIMÆ PURGATÆ,

Ad DEUM & Hominem

JESUM CHRISTUM

Ut Conditorem, ut Dominum, ut Regem

EVCHARISTICUM

ACCEDENTIS,

Per affectum puritatis & reverentiæ famularis.

ANTE MISSAM

EXCITATORIA

Aſpiratio.

UBi primùm evigilaſti, ſimul cogita Regem cœleſtem, ſimul audi principes eius, tuam ipſius animam ad pran-

prandium Eucharisticum excitantes.

Iud. c. 5. *Surge, surge Debora, surge, surge & loquere canticum.*

Inde Regium tibi gratulatus prandium, sic aspira.

Esth. c. 5. *O me felicem! hodie cum Rege pransurus sum.*

INVITATORIA

Consideratio.

MIssâ jam instante *Considera* te seu vile mancipium, seu infirmum viribus subjectum, seu hostem quondam perduellionis reum, à Christo tuo præstantissimo Domino, cui servire, regnare est; potentissimo Conservatore, cui resistere nemo potest; fidelissimo Rege, cuius titulus hic est; *Rex Regum, & Dominus Dominantium*; non ad debitas perfi-
Apoc. c. 9.
diæ

diæ tuæ pœnas, ſed ad Evchariſticum prandium, ubi Rex convivii Chriſtus ipſe JESUS, Angeli miniſtri, Sancti Patriarchæ aulici, verbis iſtis invitari.

Ecce prandium meum paravi; tauri mei, & altilia occiſa, & omnia parata; venite. Mat. c. 22.

Hâc mente templum ingredere, & Regem Evchariſtico conſidentem throno ſic pronus alloquere.

INFLAMMATORIUS
Affectus.

1. REx Regum, & Domine, Dominantium, CHRISTE, qui per os Sapientiæ clamaſti; ſi quis eſt parvulus, veniat ad me; & inſipientibus locutus es, dicens; venite, comedite panem meum, & bibite vinum, prov. c. 9.

Imi. quod miſcui vobis; ecce ego
Chr. ad te venio, ut benè ſit mihi
l. 4. ex munere tuo, & lætificer
c. 3. in convivio Sancto tuo, quod parâſti in dulcedine tua pauperi DEUS. Quoniam verò ſic jubes, opiparè
Petr. Cell. prandebo. Neque enim ibi
l. de parcè prandendum eſt, ubi
pan. cibum invenio DEUM.

prov. Rex, qui ſedet in ſolio Ju-
c. 22. dicii, diſſipat omne malum intuito ſuo, quantò magis contactu ſuo Rex gloriæ Chriſtus Evchariſtico reſi-
Hebr. dens in throno. Adeamus
c. 4. ergo cum fiducia ad hunc thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in tempore opportuno.

Iſai. Mundamini qui fertis va-
c. 16. ſa Domini. Sed quantò
P. Bleſ. mundiores eſſe oportet eos
co. 52. qui

qui in manibus, & in corpore portant Christum. Ecce Angelorum multitudo fulgentibus vestibus indutorum altare ipsum circumdat, capite sic inclinato, ut si quis milites stantes videat præsente Rege; tamen quod ipse liberè non audent intueri propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos unimur; & inde nos perduelles non trepidamus? Illuc accedere non veremur? O vermiculorum audacia! *Chry. de sacerd.*

4. Suges lac gentium, & mamillâ Regum lactaberis: imò sanguine Regis Regum potaberis, O Anima Christiana. Vide igitur qualem te esse oporteat, dum hîc talem, tantumque suscipis Dominum, cuius ebibitus sanguis *Isai. c. 60.* *Chry. hom. 45.*

guis nobilitatem animæ non ſinit langueſcere.

Iſai. c. 25. 5. Feciſti Domine DEUS exercitium populis tuis in monte hoc convivium pinguium medullatorum, convivium vindemiæ defæcatæ, noſtris olim patribus promiſſum. Tuam quippe nobis hîc apponis carnem in cibum, ſanguinem in potum, animam pro medulla, proque adipe divinitatem. Pſal. 62. O pingue convivium! quis mihi det, ut ſicut adipe, & pinguedine tuâ repleatur anima mea?

6. Cor mundum crea in me DEUS. Mundiſſimo Aug. med. c. 35. namque Domino munda debetur habitatio. Sanctifica ergo me vas tuum, quod feciſti; de malitia evacua, imple de gratia, & plenum conſer-

ſerva, ut dignum habitationis tuæ templum efficiar.

7. Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terræ. O felix anima, quæ te, Chriſte, Dominum DEUM ſuum, meretur devotè ſuſcipere, & in tui ſuſceptione, ſpirituali gaudio repleri! ô gaudium ſuper omne gaudium mundi! gaudere cum DEO, epulari cum Chriſto, manducare DEUM & Sacramentis ſaginari!

Pſal. 21.

Imit. Chr. l. 4. c. 3.

Tertull.





IN MISSA.

JACULATORIÆ FACES Animæ Purgatæ.

1. *Ad Confessionem.*

Cum Iacobo.

Iob. c. 7. Peccavi! quid faciam tibi, ô Custos hominum? cur non tollis peccatum meum?

2. *Ad Introitum.*

Cum Absalone.

2. Reg. c. 14. Obsecro, ut videam faciem Regis, aut si memor est, iniquitatis meæ, interficiat me!

3. *Ad Offertorium.*

Cum Esthere.

Esth. c. 5. Si Regi placet, obsecro, ut venias ad me hodie ad convivium quod paravi!

4. *Ad Elevationem.*

Cum S. Franc. Sales.

In vita. Vivat Rex Maiestatis, vincat JESUS, regnet ubique Christus!

5. *Ad*

5. Ad Communionem.

Cum S. Bern.

O JESU Rex admirabilis,
Et Triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis, *In Iubil.*
Totus desiderabilis.
Desidero te millies,
Ut hîc de te me saties,
Mi JESU, quando venies?
Me lætum quando facies?

6. In Communione.

Cum Leproso.

Domine, si vis, potes me mundare. *Mat. c. 8.*

7. A Communione.

Cum pueris Hebr.æ.

Hosanna Filio David! benedictus qui venit in Nomine Domini Rex Israël! ô Christe, *Ioa. c. 12.*

In me tuam loca sedem,
Ex me nunquam move pedem,
Regum Regnator Optime!

POST MISSAM,

Vox Laudis.

Patrum Senatus inclyte,
Cum Patriarcharum Ordine,
Regem, Deumq́; prædica,
Sonante Præconum tubâ.
Jo David, ô Psaltes regie!
Jo Joseph Regis Oeconome!
Jo Christi BaptistaProdrome!
Jo terque, quaterque dicite!

Simul omnes gentes plaudite manibus, jubilate DEO nostro in voce exultationis. *Psal. 46.*

Quoniam Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram.

Subjecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris.

Psallite Deo nostro, psallite: Psallite Regi nostro, psallite.

Quoniam Rex omnis terræ Deus, psallite Sapiēter. *Rex*

Rex quem Cœlum demiratur,
Rex quem terra veneratur,
Quem verentur Inferi;
Ecce tectus Sacro Pane,
Nos cibavit suâ Carne,
Suo potavit Sanguine.
Illo solo gloriemur,
Illi soli gratulemur,
Ore, manu, pectore.

Cantemus illi cum egregiis ac fortibus viris, qui vicerunt bestiam, & imaginem eius, habentes cytharas DEI, & cantantes canticum Agni: dicentes; magna & mirabilia sunt opera tua, Domine DEUS Omnipotens; iustæ & veræ sunt viæ tuæ, Rex Sæculorum. Quis non timebit te Domine & magnificabit Nomen tuum? *Apoc. c. 15.*

Tibi soli serviemus,
Tibi soli concinemus,
Vivat Rex in sæcula, Amen.



GRATIARUM
Actio.

TIbi Regi ſæculorum immortali, inviſibili, ſoli DEO honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

1 *Tim.* c. 1.

Tibi laus, Æterne Pater, quòd, cùm ſis puritatis amator, & dator omnis ſanctitatis, me peccatorem indignum famulum tuum pretioſo Corpore & Sanguine Filii tui ſatiare dignatus es. O bone DEUS! quo non oportuit me eſſe puriorem tali fruentem ſacrificio? Quo ſolari radio ſplendidiorem manum meam, carnem hanc dividentem? Os meum quod igne ſpiritali repletum eſt; linguam meam, quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit? Me ta-

S. *Thom. Aq.*

Chry. hom. 83. *in Mat.*

tamen vile mancipium ad regiam hanc Cœnam vocatum regificè excepisti. Tibi gratiarum actio pro hac singulari pietate tua, proque illa bonitate mira, quâ Christum tuum inexhaustis potentiæ, & meritorum, & gloriæ thesauris ornatum constituisti nobis in Regem, qui Principem tenebrarum usurpato diu regno deturbaret, & fractis eius viribus, Cœlum credentibus aperiret. Hunc ergo gratissimum Regem, ac Dominum meum JESUM Christum à Regibus Magis, stella duce, quæsitum, inventum, adoratum, ab Herode posteà neci destinatum, fugere coactum, parentibus suis subditum, fabrili opere fatigatum, offero Maiestati tuæ, pro universis tuis erga

Blos. parad ani.

me beneficiis, ac ſpeciatim pro beneficio Conſervationis meæ (*hoc recolendum paulò fuſiùs*) pro exaltatione, & gloria SS. Patriarcharum ac Prophetarum Joſephi, Joannis Baptiſtæ, & aliorum, tibi pro me gratias agentium.

Suimet Oblatio.

Scio DOMINE mi Rex JESU Chriſte, quia ex hoc quòd me feciſti, debeo tibi meipſum, & quia me redemiſti, pro me factus homo, deberem tibi plus quàm me, ſi haberem, quantò tu maior es, pro quo dediſti teipſum. Ecce, nec plus habeo, nec, quod habeo, dare tibi poſſum ſine te, ſed accipe me tu, & trahe me ad te, ut tuus ſim imitatione, & dilectione, ſicut tuus ſum conditione & crea-

Aug. med. 39.

Imit. Chri. l. 4. c. 4.

creatione. Suscipe me in laudem & gloriam nominis tui, qui Corpus tuum, & Sanguinem in cibum, & potum mihi parasti. Præsta Domine Deus salutaris meus, ut cum frequentatione mysterii tui crescat meæ devotionis affectus. Interea verò audiam quid loquatur in me Dominus (*& hic tantisper silendum est, atque audiendum, si quid fortè tuo loquatur in corde Christus.*)

Animi Propositum.

Nunc quoque scio purissime Spiritus, quàm verenda sit hora, cum tu vivens ac sanctus è Cœlorum superis sedibus descendis, atque incubas super Evcharistiam propositam; scio, quàm sit hoc tempus meis votis propi- *Basil. l. 1. de Ana.*

pitium, ac ſtabiliendis animi mei conſiliis idoneum. Ideoque coram te, coram SS. Patriarchis ac Prophetis, co-
Aug. ram hac menſa Potentis, unde ſumitur Corpus Chriſti; propono, ad maiorem DEI gloriam propagandam, ſub invicto Chriſti Regis vexillo militare perpetuò, pugnare pro viribus, conſtanter mori, ſicut bonus miles Chriſti
2. Tim. c. 2. JESU. Decerno vitare hodie quaſi romphæam bis acutam iniquitatem omnem. Statuo denique vitium N. fortiter impugnare, & virtutem N. diligenter exercere. Tu vires, animoſque dabis, dextramque petenti.

Septem Petitiones.

2. Mach c. 1. Domine DEUS omnium Creator, terribilis & fortis, juſtus & miſericors, qui ſo-
lus

us es bonus Rex, ſolus præſtans, ſolus juſtus, & Omnipotens, & Æternus; ego te per JESU Chriſti Regis ac Domini noſtri ab Herode Rege ſpreti, à Judaico populo repudiati, à Pilato Præſide damnati, arundineo ſceptro deluſi, coronâ ſpineâ redimiti merita precor; adveniat *I.*
regnum tuum, tranquillum
ſine perturbatione, jucun- *1.pet.*
dum ſine afflictione, ſecu- *c. 1.*
rum ſine amiſſione, ut gratia *II.*
nobis & pax multiplicetur. Da, invictum S. Michaëlis Archangeli, Principis illius magni, qui ſtat pro filiis populi tui, Angelique Cuſtodis mei ſubſidium, ut eo ritè munitus hoſtes viſibiles, atque inviſibiles ſuperem, regnumq; tandem conſequar ſempiternum, Amen.

JE-

Esth. c. 5. JESU Nazarene Rex Judæorum audi me. Petitio mea, & preces meæ ſunt iſtæ. Si inveni gratiam in oculis tuis, ô Rex, & ſi tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua oro, & populum meum, pro quo obſecro. *Aug. ſolil. c. 17.* Etenim in exterminium noſtri laborat inimicus noſter qui ex quo cecidit, non ceſſat perſequi filios tuos, & in odium tuum, ô Rex magne, cupit perdere nos; ſed contere eum fortis noſter, antequam nos agnos tuos devoret. *III.* Da mihi præoccupatos homines in aliquo delicto *Galat c. 6.* corrigere, & huiusmodi inſtruere in ſpiritu lenitatis, conſiderans meipſum, ne & *IV.* ego tenter. Da Chriſtianis omnibus atque Catholicis invictum Sacræ confirmationis

ro-

robur, fructumque percipere, ut bonum facientes non deficiamus, sed ubique legem tuam adimpleamus, Amen. *Ibid.*

Spiritus Domini, DEUS, Israël, Dominator hominum, supernæ satietatis opulentissime largitor, & munerum dator, ego te per SS. Patriarcharum & Prophetarum suffragia precor, averte à me ventris ingluviem, ne ambulem cum inimicis Crucis Christi, quorum DEUS venter est. Da mortificationis Evangelicæ studium, ut stigmata Domini JESU in corpore meo portem. Da mihi denique donum Fortitudinis, & spiritu principali confirma me. *Aug. man. c. 4. V. Phil. c. 3. VI. Gal. c. 6. VII. Ps. 5*

Hæc eadem, ô beata Trinitas, à te postulo pro Rege ne-

noſtro N. pro Principibus Chriſtianis atque Catholicis; N. N. ac ſpeciatim pro N. N. ut cum debito reverentiæ, puritatis ac devotionis augmento tibi fideliter ſerviamus, Amen.

Blo-ſius. Regina Patriarcharum ora pro nobis & impetra vivis veniam & gratiam, moribundis opem & viaticum, defunctis requiem & gloriam ſempiternam Amen.



EV-

EVCHARISTICI PRANDII
RELIQUIÆ
diurnas ad Horas collectæ
Myſtæ Purgato.

Septuaginta Reges colligebant ſub menſa mea ciborum Reliquias. Iud. c. 1.

S. EVCHARISTIA *eſt*

1. Fons ſordes abluens. Chryſ l. 43. in Ioa.

1. *Gurgite ſanguineo mentes fons iſte dealbat;*
Hinc bibe, & ablutis ſordibus, albus eris.

2. Puri cordis vitales delitiæ. Aug. l. 13. Conf.

2. *Si tibi cor purum eſt, vitales appete puri*
Cordis delitias; has Sacra Menſa dabit.

3. Menſa potentis. Aug. tr. 53 in Ioa.

3. *Menſa potentis adeſt, vbi Rex conviva, cibusque;*

Rex

Rex Deus, esca Deus; Mensa potentis adest.

Clem. Alex. l. 3. Pæd.

4. Regnum Dei.

4. Si sacra mensa Dei, Regnum est, Rex dicar ab illa;
Regnum ibi possideo, possideoq; DEUM.

5. Cibus Grandium.

Aug. l. 7. conf.

5. Parvus ego, cibus hic magnorum est esca virorum;
Ut fiam grandis, sit meus iste cibus.

Isa. c. 60.

6. Lac gentium & mamilla Regum.

6. Sugere quisquis amas Regum cum lacte mamillam;
Christi suge latus, lac fluet inde tibi.

Pasc. l. de Euch.

7. Stipendia nostræ militiæ.

7. Hæc sacra, militiæ si sunt stipendia nostræ,
Hostis ab Inferno quis metuendus erit?

AD

EXERCITIUM III.

SACRÆ MYSTARUM

Hebdomadæ.

DIES TERTIUS

DEO. O. M. & SS. Angelis

CONSECRATUS.

UT pulsâ noctis caligine, sol exoriens terras illustrat; ita fugatis ignorantiæ tenebris, divina lux irradians mentes puras illuminat. Ideoque Animæ peccati sordibus expurgatæ, radiisque cœlestibus illuminatæ *Tertium* hoc proponimus *Exercitium*, ipso die Mercurii peragendũ. Est enim Spiritui Sancto humilium Doctori, Doctorumq; Pædagogo, necnon Apostolis mysteriorum DEI dispensatoribus honorandis destina-

Iosep. vicec. l. 3. de vir. Miss. c. 18.

natus hic dies, cōmodusque nobis, ut cum affectu humilitatis, & obedientiæ docibilis, ad Evcharisticum Magistrum accedamus, atque adeo illuminemur; non quomodo accesserunt Judæi, ut tenebrarentur; ait August. Accesserunt enim illi, ut crucifigerent, nos autem ad eum accedimus, ut Corpus eius & Sanguinē accipiamus. Illi de Crucifixo tenebrati sunt, nos manducando Crucifixum & bibendo illuminamur tanquam à sole sub nube condito, qualis hic depingitur. Quemadmodum enim nubes de se licet obscura, sole tamen plena ipso collucet; ita mens suscepto ritè Christo, quem S. Anastasius Sinaita Solem mundi purissimum & fulgentissimū vocat, mirabiliter ab hoc Hospite collustratur.

in Psal. 33.

l. 4. Exā.

IN



IN SYNAXIM
ANIMÆ ILLUMINATÆ
Septenarium diſtichon.

1\. *UMbra repone diem, quid lumina noſtra moraris?*
Redde ducem, radiis qui mihi monſtret iter.

2\. *Eſt iter ad Menſam, quam nocte dieque requirit*
Mens viduata ſuo lumine, pane, mero.

3\. *Audior! Ecce mihi ſubjectæ nubis in umbra,*

Men-

Mensa patet sacro clarificáta cibo.

4. *Sol cibus est mentis, solem tegit umbra, cibumq́;*
At solem, atque cibum mens notat ipsa suum.

5. *Haud secus ac nubes solem complexa, micanti*
Hunc sibi præsentem lumine plena probat.

6. *Et mihi mens tali* collucet ab Hospite, *quando*
Totus in exiguo cor DEUS Orbe replet.

7. *O Deus! ô quando pulsis de corde tenebris,*
Totus eris mihi sol? Totus ero tibi cor.

EXEMPLA.

TAlis omnino fuit D. Thomas Aquinas, cui sol circa cor in tabellis appingitur; quia Christus illi sol, ipse cor

[..]or Christo erat; sive de eo [s]criberet Doctor Angelicus; [s]ive rythmos illi caneret, lau[d]ator Evcharisticus; sive il[l]um susciperet, humilis pius Mysta. Talis quoque fuit In[d]orũ Apostolus S. Franc. Xa[v]erius, qui solis huius radiis [e]ffulgens, dum sacra faceret, [p]opuloque ad veram fidem [c]onverso panem cœlestem [d]ivideret, nubis instar à ter[r]a ferebatur sublimis. Talis [d]enique fuit B. Angela de Fulginio, quæ Christum in augustissimo tabernaculo Solis instar irradiantem semel intuita, miro deinceps illum ardore, nec non humilitatis affectu suscipere solebat. At nos væ cordes ac superbi tenebriones tam augusta sine sensu Mysteria contrectamus!

in Vita. *in Vita.*



EXERCITIUM III.

ANIMÆ ILLUMINATÆ

Ad DEUM & Hominem

JESUM CHRISTUM

ut Vocatorem, ut Magiſtrum, ut Paſtorem.

EUCHARISTICUM

ACCEDENTIS,

Per affectum Humilitatis & obedientiæ docibilis.

ANTE MISSAM

EXCITATORIA

Aſpiratio.

EXcitatus à ſomno Martham audi Chriſti Diſcipulam ita te ſilentio monentem.

Ma-

Magister adest, & vocat te. Ioan. c. 11.
Nec mora; surge qui dormis, & illuminabit te Christus, surge inquam, & cum alio item Discipulo sic aspira.

Magister, sequar te, quocumque jeris. Mat. c. 8.

INVITATORIA

Consideratio.

DAto jam ad Sacrum signo, *Considera* te vel cæcum in sacris Mysteriis Discipulum, vel surdum in divinis colloquiis Auditorem, vel rudem in spiritualibus Exercitiis Tyronem, à Christo tuo rectæ viæ Ductore, certæ veritatis Doctore, sanctæ vitæ Pastore, per S. Philippum, aut alium è SS. Apostolis Patronum, non ad castigandos pro meritis lapsus, errores, ac defectus

tuos; ſed ad offuſas menti tuæ tenebras cœleſti lumine, ſermone, pabulo diſcutiendas, his vocibus invitari.

Joan. c. 1. *Quem ſcripſit Moyſes, in lege, & Prophetæ, invenimus JESUM Filium Joſeph à Nazareth; veni, & vide.*

Tali cogitatione defixus templum ingredere, & ſedentem in Eucharistica quaſi cathedra, Magiſtrum, ſic affare.

INFLAMMATORIUS
Affectus.

Luc. c. 18. 1. JESU Fili David miſerere mei. Ego ſum miſer ille cæcus juxta viam mendicans. Tu autem es Paſtor meus bonus, Magiſter meus verus, Dux meus ad patriam, lux mea vera, via mea recta, ſapientia mea præclara. Quid tibi

Aug. med. c. 18.

ibi vis faciam? Inquis; Domine, ut videam, ut per te ambulem, ut ad te perveniam, ut in te requiescam, qui es via, veritas, & vita. Te enim desidero dulcissimum ac pulcherrimum Dominum. Da mihi te, ne deficiam in via. Mens enim deficit, quam recepta Evchariſtia non erigit & accendit. *Cypr. ep. 54*

2. Accedite ad illum, & satiamini, quia panis est; accedite ad eum, & potamini, quia fons est; accedite ad eum, & illuminamini, quia lux est. Christus in Evcharistia, lumen in lucerna, quæ devotè recipientium ignorantiæ tenebras illuminat. Accedam igitur & ego, quoniam Dominus illuminatio, & salus mea Christus. *Ambros. S. 18. in Ps.* *S. Th. opusc. 58. c. 6.* *Ps. 26*

 3. Ec-

1 Reg. c. 3. 3. Ecce ego, quia vocasti me, loquere, Domine, quia audit servus tuus. Quæso piissime, invocantem ne deseras, quia priusquam te invocarem, me vocasti & quæsisti: ut & ego servus tuus te quærerem, quærendo invenirem, & inventum amarem. Quæsivi & inveni te, Domine, & amare desidero. Auge desiderium meum, & da quod peto; quoniam si cuncta, quæ fecisti, mihi dederis, non sufficit servo tuo, nisi teipsum dederis. Da ergo teipsum mihi.

Aug. man. c. 3. *c. 17.*

Math 4. Præceptor, bonum est nos hîc esse, tecum epulari, te frui. Per hoc enim Mysterium tradis te fidelibus tuis, quatenùs discant amare te, cognoscere te, laudare te. O si cognoscerem te in fractione

Laur. Iust.

ne panis, cum Discipulis tuis!
ò si amarem te quantùm vo- *Aug.*
o, quantùm jubes DEUS
meus!

5. Audiam quid loquatur
in me Dominus ad commendationem Mysterii sui! unde commendavit Corpus & *Aug. in Ps. 33.*
Sanguinem suum? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Id cum ita sit, vilior ego fiam, plusquam *2 Reg. c. 6.*
factus sum, & ero humilis in oculis meis, & sic coram Domino gloriosior apparebo.


6. Sufficit Discipulo, ut *Math c. 10.*
sit sicut Magister eius. Ecce autem quantus unitur animæ tuæ Christus. Ille tamen & Magister, & Dominus humiliavit se factus obediens *Phil. c. 2.*
usque ad mortem, mortem

autem crucis, & hîc usque advocem Sacerdotis. Vade ergo, & tu fac similiter.

Math c. 9. 7. Miratur Judæus, & quærit, quare cum peccatoribus manducat Magister vester? Sed miretur potiùs, quòd manducetur à vermibus. *Psal. 21.* Ego enim sum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.



IN



IN MISSA

JACULATORIÆ FACES Animæ Illuminatæ.

1. *Ad Confessionem.*

Cum S Petro.

Ah! Domine, non tantùm pedes meos, sed & manus, & caput lava. *Ioan. c. 13.*

2. *Ad Introitum.*

Cum Cæcis.

Domine, miserere nostri, Fili David. Domine ut aperiantur oculi nostri! *Math c. 20.*

3. *Ad Offertorium.*

Cum Iobo.

O utinam DEUS loqueretur mecum, & aperiret labia sua mihi! *Iob. c. 7.*

4. *Ad Elevationem.*

Cum S. Andrea.

Tu es Magister meus Christus, quem amavi, quem cognovi, quem confessus sum. *in Offic.*

5. *Ad Communionem.*

Cum S. *Ioan. Bapt.*

Luc. c. 3. Domine, Tu venis ad me, qui non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum tuorum! veni tamen,

Veni mentis igne pure,
Veni meum pectus ure,
Hæc te poſcunt ſuſpiria!

6. *In Communione.*

Cum SS. Apoſtolis Petro vel Thoma.

Math c. 16. Io. 20 Tu es Chriſtus, Filius DEI vivi. Dominus meus, & DEUS meus.

7. *A Communione.*

Cum Diſcipulis.

Luc. 24. Mane nobiſcum Domine, quoniam adveſperaſcit; quoniam cognovimus te in fractione panis; quoniam cor noſtrum ardens erit in nobis, dum loquens in via aperies nobis ſcripturas.

POST

POST MISSAM

Vox Laudis.

Ecclesiarum Principes,
Et vera mundi Lumina,
Christi canentem munera
Vestris juvate cantibus.

O veri Sion Filii, cum Discipulis Apostoli, venite & exultate mecum, & lætamini in Domino Deo nostro, qui dedit nobis Doctorem Justitiæ. *Ioel. c. 2.*

Quoniam eduxit me de tenebris, & umbra mortis; & vincula mea disrupit. *Psal. 106.*

Et deduxit me in viam rectam, ut irem in Civitatem habitationis.

Et sacrificem sacrificium laudis, & annuntiem opera eius in exultatione.

Et exaltem eum in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorũ laudem eum. Vos

Vos, inquam, ô duodeni Senes, unà cum viginti quatuor senioribus coram Agno procidentibus, cantate mecum Canticum novum, di-
Apoc. c. 5. centes: Dignus es, Domine, accipere Librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes, & regnabimus super terram. Dignus es accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.

hym. Eccl.

Laus honor, virtus, gloria
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito
In sempiterna sæcula,
Amen.

GRA-



GRATIARUM
Actio.

GRatias ago tibi Illuminator & liberator meus, quoniam illuminasti me, & cognovi te. Serò te cognovi, veritas antiqua, serò te cognovi, veritas æterna. Tu eras in lumine, & ego in tenebris, & non cognoscebam te: quia illuminari non poteram sine te. Gratias quoque tibi pro bonitate tua, quâ motus olim misisti Filium tuum ad nos, ut optatissimum Doctorem, qui depulsis ignorantiæ tenebris veritatem annuntiaret, & mentes nostras agnitione sanctissimi nominis tui illustraret; ut piissimum Ducem, qui rectum iter ostenderet, omnis-

Aug. sol. c. 33.

Blos. Parad ani.

nisque virtutis perfectionem in se demonstraret. Denique ut morum exemplar, vitæ Magistrum, sanctitatis omnis complementum. Jam verò pro talibus tantisque donis tibi, Deus, quid referam? Equidem neque in Cœlo, neque in terra aliquid invenio, quod vel dignius, vel gratius tibi sit, aut esse possit, quàm unigenitus Filius tuus. Illum ergo Magistrum meum Doctores inter, in templo disserentem, in monte docentem, in Urbe conversantem, in pagis ac vicis evangelizantem, ubique verbo & exemplo virtutum præcepta tradentem offero pro tuis in me beneficiis, ac speciatim pro Vocatione mea ad fidem Christianam, atque Catholicam, ad Socie-

cietatem Jesu, ad Sacerdotii gradum (*hæc & similia pro cuiusque statu, graduque recolenda*) pro exaltatione & gloria SS. Apostolorum Petri & Pauli, & aliorum Sanctorum, qui viventes in carne plantaverunt Ecclesiam sanguine suo, tibique pro nobis meritas gratias agunt.

Sumet Oblatio.

Et ego Domine JESU, tibi gratias ago, ne sim ingratus tibi. Nam multa mihi beneficia exhibuisti, quæ non cognovi, donec illuminasti me. Nunc igitur lux animæ meæ, Domine Deus meus, vita, per quam vivo, lumen oculorum meorum per quod video, en illuminasti me, & cognosco te: quia vivo per te, & gratias ago tibi, licet viles & exiles, & impares bene-

Aug. sol. c. 18.

ne-

neficiis tuis, quales habet mea fragillitas, offero. Suscipe, Domine, universam meam libertatem, accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem, quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus trado voluntati gubernandum, amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco; sed ausculto vocem tuam. Domine, quid me vis facere? (*Et hic audiendus, si quid loquatur, in corde Christus*)

S. Ign. Exer. spir.

Animi Propositum.

Nunc humilium Doctor, & superborum destructor veni. Doce me facere voluntatem tuam, quia DEUS meus

Aug. med. c. 9.

meus es tu, & Spiritus bonus deducens me in terram rectam; veni, inquam, Sanctissime Spiritus, & me hodiè coram te, coram SS. Apostolis tuis, coram hac sapientiæ tuæ Mystica Sede, ita statuentem audi. Propono perfectæ humilitati atque obedientiæ me dedere. Decerno ex animo tuam in omnibus rebus voluntatem quærere, spectare gloriam, legem sequi. Statuo denique vitium N. fortiter impugnare; nec non & virtutem N. pro viribus exercere, atque ita deinceps vivere, sicut decet ministrum Christi, & dispensatorem mysteriorum DEI.

Psal. 142.

1. cor. c. 4.

Tu mihi Dux cæco lumen opemque feres.

Sep-

Septem Petitiones.

O Fidelis Deus, per quem
1. cor. vocati ſumus in Societatem
c. 1. Filii tui JESU Chriſti Domini noſtri, ego te per eiusdem à Juda traditi, à Petro ter negati, ab aliis Diſcipulis derelicti, à Judæis falsò accuſati, à Caipha damnati, variisque contumeliis afflicti merita precor & rogo; fiat
I. voluntas tua ſicut in Cœlo & in terra; ut odiamus, quæ odis; diligamus quæ diligis, quæ præcipis impleamus. Nam voluntas DEI ſanctifi-
II. catio noſtra. Da vigiles illorum ſeptem Oculorum, qui
Apoc. ſunt ſeptem Spiritus miſſi in
c. 5. omnem terram, Angelique mei Cuſtodis excubias, ut iis ubique directus, certum in rebus dubiis conſilium, in obſcuris lumen, in anguſtis ro-

robur experiar, munusque meum ſtrenuè, conſtanterque perficiam, Amen.

O Deus Verbum, qui es lux, per quem facta eſt lux; qui es via, veritas & vita: in quo non ſunt tenebræ, error, vanitas, neque mors. Lux ſine qua tenebræ: via ſine qua error: Veritas ſine qua vanitas: Vita ſine qua mors. Dic Verbum Domine, fiat lux, ut videam lucem, & vitem tenebras: videam viam, & vitem invium: videam Veritatem, & vitem vanitatem: videam vitam, & vitem mortem. Illuminare, Domine, lux mea, illuminatio mea; illuminare huic cæco tuo, qui in tenebris, & in umbta mortis ſedet: & dirige pedes eius in viam pacis. Da mihi, da Catholicis Doctoribus viam *Aug. ſol. c. 4.*

Dei

DEI docere in veritate & do-
III. Rom. c. 12. ctrina; eſurientes autem pa-
ſcere cum charitate. Da Sa-
cerdotibus, & cæteris Eccle-
ſiæ tuæ Miniſtris Ordinum
IV. ſacrorum finem, fructumque
percipere, Amen.

Te quoque lumen cor-
dium Sancte Spiritus, Spiri-
tus veritatis, qui doces nos
omnia, quæcumque petere
debeamus, te inquam, per
Ioan. c. 14. SS. Apoſtolorum ſuffragia
precor, & rogo; Expelle à
V. me ſpiritum ſuperbiæ; DEUS
2. petr enim ſuperbis reſiſtit. Et
VI. concede propitius theſau-
rum humilitatis Evangelicæ,
Gal. c. 6. ut abſit mihi gloriari, niſi in
Cruce Domini noſtri JESU
Chriſti. Da mihi denique
donum Sapientiæ; & docebo
VII. iniquos vias tuas.

Hæc

Hæc eadem, ô beata Trinitas, à te postulo, pro Summo Pontifice. N. pro Antistite nostro, pro cunctis Ecclesiæ Prælatis, atque Pastoribus, pro Clericis, & Religiosis Ordinibus, ac nominatim pro N. N. ut cum obedientiæ, & humilitatis augmento, tua semper & ubique mandata compleamus, Amen. *Psal. 50.*

Regina Apostolorum ora pro nobis & impetra vivis veniam & gratiam, moribundis opem & viaticum, defunctis requiem & gloriam sempiternam Amen.



EF-

EVCHARISTICI EPULI
RELIQUIÆ
diurnas ad Horas reservatæ:
Mystæ Illuminato

Math. c.14. *Et tulerunt Reliquias, duodecim Cophinos fragmentorum plenos.*

S. EVCHARISTIA *est.*

D. Thom. opusc. c.58. 1. Lumen in Lucerna.

1. *Mystica Lux cœcâ tegitur cum Sole Lucernâ;*
Nempe oculis tegitur, cordibus ut pateat.

S. Fr. Salef. ep. 2. Sol Sacramentorum.

2. *Exoriare dies nostris in mentibus; ecce*
Sol Sacramentorum pectora nostra subit.

D. Cyr. l.12. in Ioa. 3. Caro vehiculum Spiritus Sancti.

3. *Spiritus alme veni, comitare in pectora Christum;*
Te Caro Sancta vehit; Spiritus alme veni.

4. Pa-

4. Paſtor & Agnus. D. Pau-

4. *Corpore ſi proprio paſcit me Paſtor & Agnus.* lin. in Epheſ

Paſcenti ſimilis, Paſtor & Agnus ero.

5. Menſa Sapientiæ. *Aug. l. 6. de Civi.*

5. *Deſipit is, cui menſa ſapit medicata ſub auro;*

Myſtica Menſa tibi ſi ſapit, ipſe ſapis.

6. Cibus veritatis. *Baſil. in Iſai.*

6. *Pabula vana cibent alios dulcedine falsâ;*


Me paſcit verus nomine, reque Cibus.

7. Cenſus & divitiæ Dei. Ter- tul. Hugo Card.

7. *Spernat avarus opes inventâ fœderis Arcâ;*

Continet hæc Cenſus, Divitiaſque Dei.





AD
EXERCITIUM. IV.
SACRÆ MYSTARUM
Hebdomadæ.

DIES QUARTUS,

Deo. O. M. & SS. Patriarchis

CONSECRATUS.

QUem ſuperiùs Evchariſticum Solem conſpeximus, hunc animarum Ignem experimur. Verè DEUS noſter Ignis conſumens eſt, & oculi Chriſti velut flamma ignis, præſertim in Evchariſtico rogo rutilantis. Ignis iſte, qui DEUS eſt, inquit
Ser. Bernardus in Cant. conſumit
57. quidem, ſed non affligit, ardet ſuaviter, deſolatur felici-

citer. Eſt enim verè Carbo deſolatorius, ſed qui ſic in vitia exerceat vim ignis, ut in anima vicem exhibeat unctionis. Ad hunc igitur Ignem, ut cum debito fervore accedamus. *Quartum* hoc nobis proponitur *Exercitium* ipſo die Jovis obeundum. Eſt enim feria quinta Sanctiſſimi Evchariſtiæ Sacramenti memoriæ dedicata, & ad hoc ſpecialiter à SS. P. Urbano quarto inſtituta, atque adeò à B. Magdalena de Pazzis *Dies Amoris* appellata. Alio quoque die præſertim SS. Martyribus conſecrato poterit obiri cum affectu amoris & gratitudinis in Chriſtum, qui cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos: ut ſcil. eodem igne ſuccenſi, lucerent ipſi quoque & arderent.

Nam, ut ait idem Bernard. tan- *ser. de S. Joa. Bapt.*
tùm lucere, vanum; tantùm
ardere, parum: lucere & ar-
dere perfectum. Et hoc ip-
sum nobis, in apposito Sa-
lamandræ Symbolo luce
clariùs elucet.

✝
IHS



IN



IN SINAXIM
ANIMÆ AMANTIS
Septenarium diſtichon.

1. *QUæ nova lux? Quæ flam-*
ma rogi? Quis fervor
Amantem,
Excitat? unde mihi mens
calet Igne Sacro?
2. *Mens calet Igne Sacro, Sacrâ*
quem ſumpſit ab ara;
Præbuit Ara Cibum, præbuit
Ara Rogum.
3. *Scilicet Ara mihi menſa eſt; ci-*
bus ignis, amorq́; *Eſt*

Est coquus; ô quales condiit iste dapes!

4. *His mea mens epulis* dum pascitur, ardet *ad aras.*
Ardet amore cibi, pascitur igne rogi.

5. *Qualis amica rogi, medios Salamandra per ignes,*
Pascitur igne cibo: sic ego pascor eo.

6. *Ignis amor, cibus ignis, amor cibus; hæc tria cordis*
Sunt alimenta mei; fercula trina DEI.

7. *Talia quisquis amas divinæ fercula Mensæ,*
Sit tibi perpetuus fomes amoris amor.

EXEMPLA.

SAnctus Ignatius M. cuius cor Evcharistico flagrans igne, tyrannico comburi non potuit, de hoc sacro pabulo sic ait. Ego non comedam scam

ſcam corruptionis, neq; vo- *Ign.*
lptates huius mundi deſide- *mart.*
o, ſed panem Dei volo, pa- *ep. ad*
em cœleſtem, panẽ vitæ, qui *Rom.*
ſt caro Jesu Chriſti, & potũ
olo ſanguinem eius, qui eſt
ilectio incomparabilis, & vi-
a æterna. Sanctus quoq; Do-
ninicus, Dominicæ Menſæ
eſiderio flagrans, nullam fe-
è aliam cellam, niſi Eccleſiam *lib. 3.*
abebat, ubi poſtquã anima- *vitæ.*
um lucris inſtitiſſet, lectioni
è dabat, & orationi, ſic pror-
ſus, ut Dilecti ſui præſentiâ
delectatus, ſæpe mentis ex-
ceſſum ad elevationẽ Hoſtiæ
pateretur. Quid S. Virgo The-
reſia? Nonne poſt ſuſceptam
Evchariſtiam, tanto divini a- *In*
moris incendio cõflagravit, ut *eius*
meritò viderit Angelũ ignito *vitâ.*
jaculo ſibi præcordia tráſver-
berantem? Et ad has Amantiũ
faces ego non incaleſcam?



EXERCITIUM IV

ANIMÆ AMANTIS

Ad DEUM & Hominem

JESUM CHRISTUM

Ut Justificatorem, ut Dilectum, ut Convictorem

EUCHARISTICUM

ACCEDENTIS,

Per affectum amoris & gratitudinis cordialis.

ANTE MISSAM

EXCITATORIA

Aspiratio.

MATUTINO suscitatus è somno, mentis oculos & cordis aures arrige; En Dilectus tuus loquitur animæ tuæ. *Sur-*

Surge, inquit, amica mea, speciosa mea, & veni. Cant. c. 2.

Cui tu sic amicabiliter responde, & ardenter aspira.

Etiam venio citò, Amen. Veni Domine JESU, *Amen. Surgam interea, & quæram te, quem diligit anima mea.* Apoc. c. 2. Cant. c. 3.

INVITATORIA

Consideratio.

IMminente horâ divini Mysterii *Considera* te inamabilem vel sine constantia Amicum, vel sine suavitate Convivam, vel sine benevolentia Fratrem, à Christo tuo Justificatore fidelissimo, Convictore jucundissimo, Dilecto beneficentissimo, per servum suum Joannem, aut alium de SS. Martyribus unum, quem mittat horâ cœnæ dicere tibi, ut venias ad

iſtam, quam facit cœnam magnam; non ut amicitiam à te toties violatam diſſolvat aut vindicet, ſed ut eam novo teſtatam beneficio confirmet, ſtabiliatque, per amicis his vocibus invitari.

Cant. c. 5. *Venite, quia jam paratæ ſunt omnia. Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.*

Hinc tu fervidus atque gratus, accumbentem Eucharisticæ Menſæ Chriſtum, benevolis his verbis, aggredere.

INFLAMMATORIUS

Affectus.

1. QUid Dilecte mi, propter me factus homo; quid Dilecte uteri mei, propter me factus cibus atque potus; quid Dilecte votorum meorum, ad quem tendunt om-

Prov. c. 31.

Pont. in Cant.

omnia mea desideria; quid dicam tibi? Ecce temetipsum nobis immisces, & Corpus tuum in nos contemperas, *Chrys hō. 61 ad pop Ant.*
ut unum quid simus non tantùm charitate, sed etiam ipsâ re. Fiat, fiat, sicut vis, ô charitas DEUS meus!

2. Anima mea liquefacta est, ut Dilectus meus, locutus est. O Dilecte, qui nos facis languidos, deficio tui memor! ô anima mea, si liquefacta es ad verbum eius, *Lau. Iusti. In. centi. d. am.*
quomodo sustines amplexus eius? Aut certè si liquefacta es ad loquelam eius, quomodo præ amore vivis, & non deficis, quando illius Corpore & Sanguine vescetis?

3. Fuit hæc terribilis quidem Judæis facta comminatio; unusquisque carnes amici sui comedet. Mihi verò *Ierem c. 19.*

rò nihil eſt hoc verbo ſuavius. Sic enim dixiſti, bone JESU, tuis illis amicis; qui
Ioan. c. 6. manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Hoc autem unum deſidero, unum oro, ut totus uniar tibi, totusque vivam, quoniam tu
Cant. c. 5. es Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.

Luc. c. 11. 4. Amice, commoda mihi tres panes; imò panem illum unum, qui de Cœlo deſcendit. Iſte eſt panis, qui ſatus in Virginè, fermentatus in Cruce, confectus in
Petr. Chryſ. S. 67. Paſſione, coctus in ſepulchri fornace, in Eccleſiis conditus, illatus altaribus, cœleſtem cibum quotidie ſubminiſtrat. Hic unus abundè ſufficit. Ah Domine JESU! ſem-

semper da nobis hunc panem.

5. Amico fideli nulla est comparatio. Quid igitur amas, ô anima mea, cùm Christum non amas? Quis nobis amicior quàm Christus, qui nobis Corpus suum tradidit? O Christe! ô amor meus, Dilecte virium mearum, viscerum & præcordiorum meorum; utinam diligam te, sicut diligor à te, ut sis Dilectus meus, sicut ego sum dilectus tuus; utinam fruar te in medio cordis mei. *Eccl. c. 15.* *Ambr in luc.* *Ign. Mart ep. ad Rom.*

6. Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. Ita suos Christus urget convivas, sed amicos, sed charissimos: amicos quidem Evcharistico pascit epulo; charissimos autem pleniùs reficit, & potat, immò abun- *Cant. c. 5.* *Rich. victor*

dantiori gratiâ inebriat. Nunc tu quis, & qualis sis attende. Si amicus, comede; si Dilectus, bibe; si charissimus, inebriare. Sin minùs; foris canes, procul hinc abscedito.

Ambr l. de Elia c. 10. 7. Omnes sitientes venite. Mensa ista famis acquiritur pretio, & poculum istud inebrians sobrietate Sacramentorum, siti acquiritur & fame! ô sitis! ô felix ebrietas! ô calix meus inebrians, quàm præclarus es!



IN



IN MISSA.

JACULATORIÆ FACES Animæ Amantis.

1. *Ad Confessionem.*

Cum S. Theresia.

Peccavi, fateor; sed ô amor! ô amor! nunquam posthàc. Imò posthàc aut pati, aut mori potiùs, quàm fœdari. *in Vita.*

2. *Ad Introitum.*

Cum S. August.

Fuit, heu! fuit tempus quãdo te non amavi! væ tempori illi!

3. *Ad Offertorium.*

Cum S. Paulo.

Si quis non amat DOMINUM nostrum JESUM Christum, sit anathema, Maran Atha. *1 Cor. c. 16.*

4. *Ad Elevationem.*

Cum S. Petro.

Domine, tu scis quia amo te. O amor, ô pondus meum! *Ioan. c. 21.*

5. Ad

5. *Ad Communionem.*

Cum S. Bern.

Tua Jesu Dilectio,
Grata mentis refectio,
in Iubi. Replens sine fastidio,
Dans famem desiderio.

Qui te gustant, esuriunt,
Qui bibunt, adhuc sitiunt,
Desiderare nesciunt,
Nisi Jesum, quem diligunt.

6. *In Communione.*

Cum D. Amante.

Ecce tu pulcher es, Dilecte
Cant. mi, & decorus! quis mihi det
c. 1. te, Fratrem meum, ut deoscu-
& 8. ler te! apprehendam te, & ducam in domum animæ meæ.

7. *A Communione.*

Cum B. Magd. de Pazzis.

in O amor! ô amor! ô amor!
eius nunquam te desistam vocare
vita. amorem nostrum totum, spẽ nostram, nostrum totũ! quis me separabit à charitate tua?

POST



POST MISSAM,

VOX LAUDIS.

O Charitatis Victimæ,
Quas immolavit ignea
Amor Sacerdos dexterâ,
Sacras ad Aras surgite.

Adeste Sancti Martyres, qui sæpe tanquam leones ignẽ spirantes ab hac mensa recessistis, facti diabolo terribiles, audite, & narrabo vobis quãta fecit DEUS animæ meæ. *Chrys ho.61 ad pop.*

Paravit in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.

Impinguavit in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus est! *Ps.22*

Et misericordia eius subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ.

Benedictus Dominus DEUS Is-

Iſraël, qui facit mirabilia ſol⁹.
Et benedictum Nomen Maieſtatis eius in æternum & Pſ.71 replebitur Maieſtate eius omnis terra. *fiat, fiat.*
Accinite, fiat, vos ô beati Martyres, qui ſtatis ante thro- Apoc. num eius, & in conſpectu c. 7. Agni, amicti ſtolis albis, & habentes palmas in manibus veſtris. *fiat, fiat.*
Clamate mecum unâ voce ibid. dicentes: Salus DEO noſtro, qui ſedet ſuper thronum & Agno. *fiat, fiat.*
Adorate Deum, dicentes; ibid. Amen. Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarũ actio, honor, & virtus, & fortitudo DEO noſtro in ſæcula ſæculorum. *fiat, fiat.*

Io! fiat, accinamus,
Io! quater repetamus,
Fiat, fiat, fiat, fiat.

GRA-



GRATIARUM *Actio.*

BEnignissime, amator hominum DEUS, tibi gratias ago, pro tua mira & inenarrabili charitate, quâ nos indignos sic amasti, & salvasti per unicum & Dilectum Filium tuum, simul & pro Sacrosancto ac vivifico Mysterio Corporis & Sanguinis eius, quo quotidiè in Ecclesia tua pascimur, & potamur, & unius summæ divinitatis participes efficimur. O ignis, qui semper ardes, & nunquam extingueris! ô amor qui semper ferves, & nunquam tepescis! unde mihi verbum, ut explicem signa dilectionis tuæ maximæ erga me, propter innumera be-

Aug. med. c. 14.

idem solil. c. 18.

beneficia tua, quibus à principio educasti me, & quasi Filium tuum parvulum, tenellum, uberibus tuæ consolationis lactasti, & confortasti me? Ut enim tibi totus servirem, omnia quæcunque fecisti, in meum servitium tradidisti. Pro hac igitur dilectione tua, Dilectum offero tibi Filium tuum, suis ipsis manibus discipulorum pedes lavantem, S. Evcharistiæ Sacramentum instituentem, nobis in sui memoriam idem facere præcipientem; illum etiam offero tibi pro beneficio Justificationis, quàm à te, Domine, speramus, justificati gratis per gratiam tuam, per Redemptionem, quæ est in Christo JESU, quem proposuisti propitiationem per fidem in Sanguine

Rom. c. 3.

ne ipsius. (*hoc beneficium recole fujiùs, memor Apostoli dicentis, nihil mihi consciussum, sed non in hoc justificatus sum*) Illum, inquam, suscipe, sancte Pater, pro tanti huius Mysterii frequenter à me suscepti, & aliis administrati veneratione, proque exaltatione & gloria SS. Martyrum tuorum Stephanï, N. N. & aliorum, qui gloriosum pro te Sanguinem fuderunt, qui amaverunt Christum in vita sua, imitati sunt eum in morte sua, & nunc tibi gratias pro me referunt immortales.

Sumet Oblatio.

O quam suavis est, Domine JESU, Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, Pane suavissimo de Cœlo descendente illos reficere dignaris. O ineffa-

Imit. Chr. l. 4. c. 13.

fa-

fabilis dignatio! ô amor immensus homini singulariter impensus! sed quid retribuam tibi pro gratia ista, pro charitate tam eximia? Non est aliud quod donare queam, quàm ut cor meum tibi Deo meo totaliter tribuam, & intimè conjungam. Scis
Aug. med. c. 25. occultorum cognitor Deus, quoniam Cœlo, terrâ, & omnibus quæ in ea sunt, tu mihi acceptior, tu mihi amabilior es. Diligo enim te super Cœlum & terram, & cætera omnia, quæ in eis sunt. Amo te DEUS meus amore magno, magisque te amare cupio. Atque ut augeatur in me tui desiderium & amor;
Cant. c. 2. quæso te, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis & facies tua decora.

(*Et*

(Et hic audiendus in corde Christus.)

Animi Propositum.

Jam ô divini Amor numinis, Patris Omnipotentis, prolisque beatissimæ sancta Communicatio! jam cordis mei penetralibus illabere virtute, atque hoc tibi jurandum animi mei Propositum confirma. Ecce ego coram te, coram SS. Martyribus tuis, coram sacro Ferculo, per quod Christum possidemus, divinoque Poculo, quo fidelium affectus inebriatur. Propono JESUM Christum diligere ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex omnibus viribus meis. Statuo constanter hoc Sacramentum Amoris studiosè colere, celebrare pro viribus, cum om-

Aug. med. c. 9.

Cypr. de Evch. Ambr in Ps.

omni reverentia, tractare. Volo denique vitium N. fortiter impugnare, & virtutem N. diligenter exercere; sed ad hoc præstandum, ô divini Fons amoris, Spiritus,

Me tibi jungat amor,
Me tuus ignis agat.

Septem Petitiones.

Domine sancte Pater, qui
Idio. ex abundantia tui amoris Fi-
c. 8. lium ad hoc misisti in mundum, ut venditus nos redimeret, occisus vivificaret, injurias passus justificaret; rogo te per eiusdem Filii tui pro nobis ad columnam alligati, flagellis concisi, ad patibulum tracti, fixique merita; Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Panem, inquam, substantialem,
I. sine quo deficimus; pœnitentialem, sine quo delinqui-

quimus; doctrinalem sine quo morimur; ut tibi semper, & soli vivamus. Da benevolum cœlestium septem Spirituum, qui in conspectu throni tui sunt, Angelique Custodis mei studium, ut eo suaviter incitatus, veram in rebus prosperis ac lætis humilitatem cordis, modestiam oris, animi lætitiam conservem, Amen. *II. Apoc. c. 1.*

Absorbeat, ô bone JESU, mentem meam ignita ac melliflua vis amoris tui, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori. *S. Franc. Assis.*

Ego enim sic amo te,
O JESU mi dulcissime,
Non ut in Cœlo salves me,
Aut ne æternùm dãnes me, *S. Franc. Xav.*
Nec præmii ullius spe;
Sed sicut tu amâsti me,
Sic amo & amabo te, So-

Solùm quia Rex meus es,
Et solùm quia Deus es.

Da nobis, amantissime Jesu, peregrinos suscipere cum
III. charitatis officio, dubiasque mentes juvare consilio, ut proximum diligamus opere & veritate. Da mihi, da cun-
Joan. epist. c. 3. ctis fidelibus tuis ita Corporis, & Sanguinis tui Myste-
IV. ria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus, Amen.

O fons amoris, fons immensæ dulcedinis, fons vivus, ignis, charitas, & spiritalis unctio, te per SS. Martyrum suffragia precor; au-
V. fer à me rubiginem invidiæ;
Job. 5. parvulum enim occidit invi-
VI. dia. Da Charitatis Evange-
Gal. 2 licæ studium, ut vivam ego, jam non ego, vivat autem in
VII. me Christus. Da mihi deni-
Ps. 18

que

que donum Consilii, ut sint in omni re Consilium meum justificationes tuæ.

Hæc eadem, ô beata Trinitas, à te postulo pro dilectis in Christo sociis & amicis meis. N. N. ut cum fidei, spei, charitatis augmento, solâ Domini nostri JESU Christi dilectione serviamus.

Regina Martyrum ora pro nobis, & impetra vivis veniam & gratiam, moribundis opem & viaticum, defunctis requiem & gloriam sempiternam, Amen.



EVCHARISTICÆ COENÆ
RELIQUIÆ
diurnas ad Horas degustandæ
Mystæ Amanti.

Luc. c. 24. *Et cùm manducâsset coram eis sumens Reliquias dedit eis.*

S. EVCHARISTIA *est*,

Ephr. de non scrut. Dei Nat.

1. Ignis immortalis.

1. *Immortalis adest ignis, cur frigidus adstas?*
Fervidus hic alitur, frigidus hinc moritur.

Bern. ser. de Cœn. domi.

2. Amor amorum.

2. *Christus amor, fit amoris amor, quo pascit amorem:*
Hunc redamo, ut pascar; pascor, ut hunc redamem.

Tertull. de specta

3. Cœna Dei.

3. *Cætera Christiferæ cedant convivia Cœnæ:*
Cœna cibat Cœlum, Christiadumq; Chorum.

4. Esca

4. Eſca Sanctorum. *A*

1. *Quisquis in Altari Sanctorum veſceris Eſcâ,* *de ... ne.*
Sanctus eris; Sanctis hæc datur Eſca viris. *Pa- tria.*

5. Pinguis Panis. *idem ibid.*

:. *Quàm ſapit hic panis! quàm pinguis in ore piorum!*
Quid mirum? Hic ſacer eſt Panis; & ipſe DEUS.

6. Memoria mirabilium DEI. *Laur. Iuſt. de Evch.*

5. *Quæ miranda DEUS vaſto patefecit in orbe,*
Hæc memoranda Sacro clauſit in Orbiculo.

7. Gratia Chriſti. *Ambr l.5.de Sacr.*

7. *Gratia facta petit meritas pro munere grates;*
Evcharis æternas, quas petit, ipſa refert.





AD

EXERCITIUM. V.

SACRÆ MYSTARUM

Hebdomadæ.

DIES QUINTUS.

DEO. O. M. & SS. Confessoribus

CONSECRATUS.

ANima Patiens Amantem ſequitur hoc loco. Nec mirum. Quia, ſicut habet
l. 3. aureus de Imitatione Chriſti
c. 5. Libellus, ſine dolore, non vivitur in amore. Amoris igitur Divini jaculis vulnerato tibi, pie Myſta, *Quintum* hoc proponitur *Exerci-*
Petr. *tium* ipſo die, Veneris aſſu-
Dam. mendum. Sexta, namque
ep.14 fe-

eria pendentis in Cruce Do-
nini glorioſo Sanguine pur-
urata ad hoc ipſum te vocat,
vel certè alius dies, quo ſit
aliqua mentio SS. Confeſſo-
rum qui carnem ſuam cum
concupiſcentiis crucifixe-
runt. Ad ſacram autem Sy-
naxim ſic te parabis, ut cum
affectu Compaſſionis ac Zeli,
Chriſto patienti compatiaris,
deque eius vivifica Cruce
proficias. Et verò, ſicut in-
ſitus arbori fiſſæ ramulus,
qualis ſequenti Symbolo de-
pingitur, novum in trunco
vivendi modum novum ex
illius vulnere ſuccum, vigo-
remque elicit: ſic tu Cruci-
fixi doloribus compatiens,
Chriſti Corpore ſuſcepto,
ſanguineque delibato, re-
novaberis in Spiritu, revire-
ſces in ſenſu, jucundaberis

in fructu; dicente ſic Augu-
ſtino ; menſa jucunditatis
ſerm. Paſſio Chriſti eſt, qui ſe pro
9. nobis in menſa Crucis obtu-
lit Sacrificium DEO Patri, do-
nans Eccleſiæ ſuæ Catholicæ
vitale conviviũ, Corpore ſuo
nos ſatians & inebrians
Sanguine.



IN



IN SYNAXIM

ANIMÆ PATIENTIS

Septenarium diſtichon.

1. *VÆ tibi, triſtis Amans, inquis, tua pectora mæror*
Occupat! heu pateris! væ tibi triſtis amans!

2. *Sub Cruce Menſa mihi, fateor, ſit cauſa doloris;*
Sed dolor iſte meus cauſſa vigoris erit.

3. *Nam valet hinc mea mens ſacro nutrita liquore,*
Quem trahit è Chriſti Corpore vulnifero.

4. *Insitus arboreo sic vitam è vul-*
nere sugit.
Ramulus, & succo fructifi-
cante viget.
5. *Crux placet ergo mihi succo*
quo pascit amaro;
Myrrhà, felle, aloe, men.
vegetata viget.
6. *Væ tibi, qui tales epulas, ta-*
lesq; liquores,
Vel malè docte times, vel
malè sane fugis.
7. *Nec mihi, nec tibi væ, si Christ*
Passio cordi est:
Si non compatimur, væ tibi
væq; mihi.

EXEMPLA.

QUàm Christus nobis sub Sacramento mirabili Passionis suæ memoriam reliquit: eam S. Carolus Boromæus toto cordis affectu cõpatiens, tanto cum fructu re-

co-

colebat, ut inde ſuccum eliceret, qui fovendis tot illis, quibus florebat, virtutibus abundè ſufficeret. Hunc & amantis & compatientis animi motũ, longè ante patefecerat S. Frãciſcus, tam Corporis ſtigmatibus, quàm mentis ardoribus, de quibus ita S. Bonav. Flagrabat, inquit, erga Sacramentum Dominici Corporis fervore omnium medullarũ, ſtupore admirans permaximo chariſſimam illam dignationem, & dignantiſſimam charitatem. Sic & ipſa Franciſca Romana cum Evchariſtiam ſuſciperet, Chriſti Domini Paſſionem contemplabatur tanto mentis ardore, ſimul & dolore, ut præ illius magnitudine penè confici videretur. O æmulanda Myſtis patientibus Exempla.

in Vita c. 9.



EXERCITIUM V.

ANIMÆ PATIENTIS

Ad DEUM & Hominem

JESUM CHRISTUM

Ut Redemptorem, ut Medicum, ut Adjutorem.

EVCHARISTICUM

ACCEDENTIS,

Per affectum compassionis ac zeli salutaris.

ANTE MISSAM

EXCITATORIA

Aspiratio.

EXcusso jam somno Christum audi sic tecum loquentem.

Luc. c. 22 *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare tecũ antequam patiar*

Ideo

Ideo dico tibi, surge, tolle Crucem tuam & sequere me.

Ad quem tu sic aspirans, cum S. Petro responde.

Domine, tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire. *Luc. c. 22*

INVITATORIA

Consideratio.

AD incruentum pergens hodie sacrificium *Considera* te miserum in vinculis Inimici captivum, aut in lectulo doloris Ægrotum, vel in exercitio laboris Operarium, à Christo tuo Redemptore liberalissimo, Medico benevolentissimo, Adjutore fortissimo, per S. Bernardum, aliúmve de S. Confessoribus Patronum, non ad tuorum certè aut ludibrium vinculorum, aut contemp-

tum dolorum, aut incrementum laborum, ſed ad paratum illud in Evchariſtico ſeu theſauro, tuæ Redemptionis pretium, ſeu Calice, tui morbi remedium, ſeu Pane, debilitatis firmamentum, tibi ſuppeditet, propinet, ac porrigat, hiſce verbis invitari.

Math c. 2. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.*

Hæc tu recogitans templum ingredere, ibique Chriſtum, velut in Olivarum monte tibi ſanguine ſudantem, ita pronus alloquere.

INFLAMMATORIUS *Affectus.*

1. SALVATOR hominum Chriſte, reſpice me. Ecce ego memor venerandæ Paſ-

Passionis tuæ accedo ad Altare tuum licet peccator, ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti, & offerri præcepisti in commemorationem pro nostra salute. Nunc igitur quoniam Passio tua Sacrificium ipsum est, quod offerrimus, fac ut hodie nos de Cruce tua pascamur, qui Corpus tuum hodie manducamus. *Cypr. lib. 2. c. 5.*

2. Non ego jam à te peto, mi Jesu, ut aquâ sapientiæ me potes, aut spiritalem mihi præbeas aquam, quam Samaritanæ mulieri pollicitus es; hanc in præsenti postpono. Calicem exposco, quem in Mensa conspicio, tuo sanguine fœcundatum. Hunc ego postulo, hunc habere desidero; hinc tanquam ex ipso latere tuo nunc haurire concupisco. *Laur. Iustif.* *Crys.*

5. In

Hebr. c. 10. 3. In voluntate Dei sancti- ficati sumus per oblationem Corporis JESU Christi se- *Cypr. de Cœn. Dom.* mel Quantò magis per eius- dem sæpiùs iteratam suscep- tionem. Per hanc enim sugi- mus Domini nostri Sangui- *Anfel.* nem, & intra ipsa Redemp- toris nostri vulnera figimus linguam. Hoc piè ruminet anima mea, hoc sugat, hoc glutiat cor meum, dum ip- *Anfel.* sius Carnem & Sanguinem accipit os meum.

4. Eia Domine Jesu! cala- *Aug. solil. c. 2.* mitas quàm patior, cogit me exclamare; ægrotus sum, ad medicum clamo; cæcus sum, ad lucem propero; mortuus sum, ad vitam suspiro. Tu Medicus, tu lux, tu vita. Jesu Nazarene miserere mei. Ecce coram te remedium meum. Ecce Corpus tuum, sub

ſub forma Panis Evchariſtici,
quaſi ſub nebula contentum, *Alber*
medicina eſt ab omni nos in- *t. 1.*
firmitate præſervans. *c. 4.* *d. 3.*

5. Tetigit veſtimentum
Chriſti mulier, & curata eſt *Petr.*
ab infirmitate ſua. Miſeri nos *Cryſ.*
qui quotidie Corpus Domini *S. 34.*
tractamus, & à noſtris vul-
neribus non curamur! non
Chriſtus infirmitatibus, ſed
fides ipſa deeſt. O Fides! ô
infirmitas noſtra!

6. Vidimus eum, & non *Iſai.*
erat aſpectus, & deſideravi- *c. 53.*
mus eum. Quem autem?
JESUM Chriſtum, Cruci-
fixum, Virum dolorum. Imò
virum amorum. Nam per
eius vulnera, patent amoris
viſcera. O Vir dolorum! ò
Vir amorum! deſidero te! ſi-
tio te! quis mihi dabit, ut *id*
hau- *c. 12.*

hauriam & dolores & amores in gaudio de fontibus Salvatoris?

7. In aſperſione Sanguinis JESU Chriſti gratia vobis & pax multiplicetur, Amen.

B. Mag. de Pazzi l. 2. c. 51. Hîc ego non peto, ut me audias, ô Verbum. Clamantem audi Sanguinem tuum, & ſalva peccatores. Sanguis iſte tuus ſit intra nos, ſit ſuper nos, ſit ſuper Filios noſtros.



IN



IN MISSA

Jaculatoriæ Faces Animæ Patientis.

1. *Ad Confessionem.*

Cum Ezechia.

Domine, vim patior, re- *Isai.*
sponde pro me; recogitabo *c. 38.*
tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

2. *Ad Introitum.*

Cum debitore Servo.

Eia, Dñe, patientiam habe in *Math*
me, & omnia reddam tibi! *c. 18.*

3. *Ad Offertorium.*

Cum S. Bonaventura.

O Jesu! quis mihi dabit, ut *Incen.*
pro te patiar, ut pro te moriar? *amor.*

4. *Ad Elevationem.*

Cum S. August.

Sis mihi, Domine, semper fixus in corde, qui pro me fixus es in Cruce.

5. *Ad Communionem.*
Cum Ecclesiâ Cath.

In Offic. SS. SS O Sacrum convivium in quo Christus sumitur, & recolitur memoria Passionis eius! ô fructum salutiferum, quem nobis gustandum dedit, mortis suæ tempore!

6. *In Communione.*
Cum S. Thom. Aq.

In Ryth. Euch. O memoriale mortis Domini Panis vivus, vitam præstans homini! præsta meæ menti de te vivere, & te illi semper dulce sapere.

7. *A Communione.*
Cum S. Ignat. Lojol.

In Exer. spir. Anima Christi sanctifica me,
Corpus Christi salva me;
Sanguis Christi inebria me;
Aqua lateris Christi lava me;
Passio Christi conforta me;
Intra tua vulnera abscõde me,
JESU Christe.

POST

POST MISSAM

VOX LAUDIS.

O vos sancti Confessores,
Pontifices & Doctores,
Sacerdotes & Levitæ,
Cum Monachis Eremitæ,
Miscete voces Vocibus,
Augete laudes Laudibus,
Cantu juvate Canticum.

CAntemus Domino; gloriosè enim magnificatus est; equum & ascensorem eius dejecit in Mare. Exod. c. 15.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus; factus est mihi in salutem.

Iste DEUS meus, & glorificabo eum: DEUS Patris mei, & exaltabo eum.

Dominus quasi Vir pugnator Omnipotens nomen eius; currus Pharaonis & exercitum eius projecit in mare.

Ele-

Electi principes eius submersi sunt in mari rubro.

Cantemus etiã inquirentes,
Qualis Princeps, qualis currus,
Quis projectus, quis submersus,
In hoc mari dicitur?
Mare rubrum, Christi cruor,
Victus Hostis, Ditis furor;
Hic in illo mergitur.

Dextera tua, Domine, magnificata est: dextera tua percussit inimicum.

Dux fuisti in misericordia tua, populo quem redemisti.

Et portasti eũ in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum, ubi parasti conviviũ in dulcedine tua pauperi DEUS.

Illic tecum epulamur,
Gratulamur, & lætamur,
Ob tantam victoriam.
Illic semper ut debemus,
Sic reddemus & canemus
Tibi soli gloriam.

GRA-



GRATIARUM

Actio.

O Immensa pietas! ó inestimabilis charitas! ut liberares servum, Filium tradidisti. Deus factus est homo, ut perditus homo de potestate dæmonum erueretur. O charitas! ô pietas! misisti Filium tuum in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum, ut nos efficeremur justitia tua in ipso. Ipse enim verus est Agnus immaculatus, qui abstulit peccata mundi; qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit. O pietàs! ô charitas! quid tibi retribuam? Ecce ipsummet Filium tuum pendentem in Cruce, afflictum *Aug. med. c. 15.*

ctum undique, morientem expirantẽ offero tibi pro cunctis tuis erga me Beneficiis, ac præsertim pro Redemptione mea (*recolendum hoc loco fusiùs tale beneficium*) pro gloria & exaltatione SS. Confessorum Caroli N. N. & aliorum tibi pro me grates agentium. O mitissimè Conditor, aspice dilectæ sobolis humanitatem, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem. Candet nudum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decóra languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati sanguinis unda. Specta gloriose Genitor, gratissimæ prolis lacerata membra, & memorare benignus, quæ mea est substantia. Conspi-

Aug. med. c. 6.

picare DEI hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miseriam. Vide Redemptoris supplicium, & redempti dinitte delictum. Hæc placatio mei, & propitiatio tua.

Sumet Oblatio.

O quantùm sumus tibi debitores, DOMINE JESU, tanto redempti pretio, tanto salvati dono, tam gloriosi adjuti beneficio! tibi nempe debemus, omne quod possumus, omne quod vivimus, omne quod sapimus. Id verò totum tibi offero, ut sim totus tuus, quoniam sic esse voluisti totus meus. Nec certè minùs tibi debeo pro Sanguinis poculo, quàm pro Redemptionis pretio. Semel pro me datum est pretium, sed poculum quotidie consecratur. Ideoque deinceps

Aug. med. c. 17.

Laur. Iusti. de Euch.

ceps me tibi totum impendam, & superimpendar in salutem animarum, pro quibus Sanguinem dedisti. Ad hoc simul charitas tua nos urget, simul & clamant vulnera tua, ne frustra sanguinem tuum fuderis. Dum autem vox huius sanguinis clamat ad te de ara, fac ut audiam ipse, quid loquantur in me vulnera tua. (*Hic audiendus quasi de Cruce loquens Dominus.*)

S. *Lut gard.*

Animi Propositum.

Aug. med. c. 9.

Veni jam, veni benignissime dolentis animæ consolator, & in opportunitatibus & in tribulatione adjutor, veni curator vulnerum, refocillator deficientium, relevator labentium Sanctissime Spiritus, & me coram te, coram

ram SS. Confessoribus tuis, coram hac Mystica Dominicæ Passionis Hostia sic proponentem attende. Decerno pro Crucifixi amore Crucem meam quotidiè æquanimiter portare, ipsique pro me patienti compati; ut cum eo tandem, velut hæres Crucifixi, merear conglorificari. Propono me totum animarum saluti impendere, nullam ideò formam respuere, omnibus omnia fieri, ut plures lucrifaciam. Statuo denique vitium N. fortiter impugnare, & virtutem N. pro viribus exercere. Tu mea vis & vera salus.

Cypri. de Cœn. Dom.

Septem Petitiones.

Pater de Cœlis DEUS miserere mei. Ego te per unigeniti tui pro me opprobriis saturati, verberibus attriti,

vulneribus concisi merita, per Passionem eius & Crucem precor; dimitte nobis
I. debita nostra, contra tuam Maiestatem, contra proximi charitatem, contra nostram salutem, corde, ore, & opere commissa; sicut & nos dimittimus debitoribus nostris qui leviter, ignoranter, & rarò, nos offenderunt. Da
N. salutiferum septem illorum Angelorum, qui habent sep-
Apoc. c. 15. tem plagas de templo, & phialas septem curandis mẽtibus præparatas, Angelique mei Custodis auxilium, ut eo validè firmatus Christianam in labore fortitudinem, in dolore patientiam, in tribulatione constantiam demonstrem, Amen.

Aug. sol. c. 2. FILI REDEMPTOR mundi DEUS miserere mei. Manus enim

enim tuæ fecerunt me. Manus, inquam, illæ, quæ clavis affixæ ſunt pro me. Opus manuum tuarum ne deſpicias, vulnera manuum tuarum precor aſpicias. Ecce in manibus tuis deſcripſiſti me, lege ipſam ſcripturam, & ſalva me. En ad te ſuſpiro creatura tua: Creator es, recrea me. En ad te clamo factura tua: Vita es, vivifica me. En ad te reſpicio tuum plasma: Plasmator es, reſtaura me.
Da mihi, per afflictæ Matris intẽerata viſcera, inimicitias tuâ causâ ferre, captivosque viſitare, ut cum apparueris, habeamus fiduciam, & non confundamur à te in adventu tuo. *III.* *Ioan. epiſt. c. 2.*
Da populis infidelibus Judæis ac Barbaris veræ fidei lumen agnoſcere, Sacrique Baptismatis fructum *IV.*

 per-

percipere; Hæreticis autem & Schismaticis ad Ecclesiæ Matris gremium redire, ut Catholicam in ea doctrinam recipere, profiterique mereantur, Amen.

Spiritus sancte DEUS miserere mei, & per SS. Confessorum suffragia exoratus,
V. amove à me furorem iræ. Ira
Jac. enim Viri justitiam DEI non
c. 1. operatur. Indulge quoque
VI. mihi scutum Evangelicæ Patientiæ, ut & omnia sustineam
2tim. propter Electos, & ipsi
c. 2. salutem consequantur. Da
VII. mihi denique donum Sapientiæ, ut ea mecum sit &
Sap. mecum laboret omni tempore.
c. 3.

Hæc eadem, ô beata Trinitas, à te postulo, pro miseris, afflictis, Captivisque Christianis, ac speciatim pro

N. N.

N. N. ut cum augmento patientiæ, cum amore Passionis Dominicæ, cum animarum zelo, nobis semper vivere Christus sit, & mori lucrum. Phil. c. 1.

Regina Confessorum, ora pro nobis & impetra vivis veniam, & gratiam; moribundis opem & viaticum; defunctis requiem & gloriam sempiternam, Amen.



EVCHARISTICI SACRIFICII
RELIQUIÆ
diurnas ad Horas præparatæ
Myſtæ Patienti.

Pſ.20 *Sunt Reliquiæ homini pacifico.*

S. EVCHARISTIA *eſt*

1. Victima Sacerdotii noſtri.

S.Paulin. ep. 5. 1. *Ite Sacerdotes, quò ſpectat Gloria veſtri,*
Lauſque Sacerdotii, victima ſacra vocat.

Greg. h.37. in Ioa 2. Paſſionis Dominicæ Myſterium.

2. *Cum patior, paſcor, dat ſacrum Paſſio paſtum;*
Immo ſacer paſtus, Myſtica Paſſio fit.

Chryſ. h. ad Bapt. 3. Purpura Domini Sanguine tincta.

3. *Proh dolor! occidit Dominum fera peſſima JESUM:*
Purpura en illius ſanguine tincta rubet. 4.Ho-

4. Holocauſtum ſalutis. *Rup. l. 6. in Geneſ*

4. Eſt mihi certa ſalus Holocauſtum juge Salutis,
Si modò Cor totum ferveat igne Crucis.

5. Hoſtia pro peccatis. *Ambr in luc.*

5. Crimina ſunt hoſtes, quales domat Hoſtia Chriſtus:
Hoſtibus à domitis Hoſtia nomen habet.

6. Mundi Purgatio. *Greg. Nazi. or. de Paſch*

6. Dum Sacra ſub Calice offertur Purgatio mundi.
Cur ita Myſta jacet? Cur ita ſordet humi?

7. Vis & Nervus noſtræ ſalutis. *Chryſ h. 24. in cor.*

7. Deficiant vires; vis ſufficit una ſalutis.
Hæc reficit mentem, perficit atque meam.



AD

EXERCITIUM V.

SACRÆ MYSTARUM

Hebdomadæ.

DIES SEXTUS,

Deo O. M. & SS. Virginibus

CONSECRATUS.

QUicumque Chriſti Corpus dignè manducare
ſer. 201. de temp. voluerit, neceſſe eſt, ut moriatur præteritis, & vivat futuris, inquit Auguſtinus: Ideoque Myſta noſter paulò antè Chriſto compatiens, nunc verò commori deſiderans *Sextum* hoc tibi proponit *Exercitium* vel ipſo die
Pet. Dam. ep. 24 Sabbathi Magnæ Agonizantium Marti conſecrato, vel alio quovis die, ubi de SS. Vir-

Virginibus, de morte, de Judicio mentio fit, obeundum, idque cum timoris ac ſpei vitalis affectu. Quamvis enim certa ſit atque ſecura expectatio promiſſæ beatitudinis, ubi eſt participatio Dominicæ Paſſionis: Sacras tamen inter epulas, & trepidare debet ipſe, & probare ſeipſum homo, ut ſic de Pane illo edat, & de Calice bibat, perinde quaſi mox ab iſta cœna moriturus. Et verò ſuſcipimus ibi Chriſtum, Patronum quidem noſtrũ, qui nobis Venerabile Sacramentum reliquit in vitæ præſidiũ, in mortis antidotũ, in peregrinationis viaticum ſingulare, ſed & eundem ſuſcipimus & Judicem, & Vindicem formidandum. Cæterùm affectus ille duplex, non obſcurè de-

D. Leo S. 9. de quadr.

pingitur in Emblemate ſequenti, ubi poſita duas inter ſortes Urna ſine ancipiti timetur. Quid enim hâc ſorte incertius? Quid hoc ſine terribilius? Mors
eſt malis, vita
bonis.

✝
IHS



IN



IN SYNAXIM

ANIMÆ MORIENTIS

Septenarium diſtichon.

1. *HUc ſimul ad Menſam, ſimul hùc ad Judicis Urnam,*
Seu victura vocor, ſeu moritura citor.

2. *Mors & vita mihi diſco claudùntur eodem;*
Vita parata bonis, morsque parata malis.

3. *Hinc ſpes, inde metus; ſic* anceps ſorte timetur
Urna reo, quoties hanc movet iſte ſibi.

4. Sic

4. *Sic mea mens horret; sed Virgo Patrona Clientem*
Excitat, & Judex spes mea sola DEUS.

5. *Hic latus, illa uber præbet: mens haurit utrinq;.*
Et lac Virgineum, sanguineumq; merum.

6. *Hinc pascor, renovoq; meas ad prælia vires:*
Prælia venturam subruitura necem.

7. *Quisquis in extremo pugnas certamine, vinces:*
Si, quam poscis opem, Virginis Urna dabit:

EXEMPLA.

HOc affectu motus erga S. Evcharistiam Bernardus; nolite, aiebat, irreverenter accedere, ne vobis in mortem fiat. DEUS enim est, *Vas Electionis* est, qui minatur judicium non dijudicanti tam san-

serm. in Cœn. Dom.

ſanctam carnem. Ipſe autem accedebat, nunc pavidus à Chriſto Judice, nunc à Patrona Virgine ſecurus. Atque ita ſpem inter & metum progrediens, ſuſceptum ad ſuperos iter tum demùm proſperè confecit, cum ab Urna Virginea, ſumpto ritè viatico, ſortem in morte felicem duxit, & quievit in pace. Quid S. Philippus Nerius? Is Virginitatis flore candidus, Deiparæ ſervitute nobilis, Evchariſtiæ cultu celebris, optabilem vitæ curſum, finemque conſecutus eſt, cum die feſto Corporis Chriſti, ſacris operatus, ſpiritu gaudens, octogenarius obdormivit in Domino. Quid B. Catharina Senenſis? none & MARIÆ cliens & Evchariſtiæ cultrix ita vixit, ita obiit in oſculo Domini?

In horũ vita SS.

EXER-



EXERCITIUM VI

ANIMÆ MORIENTIS,

Ad DEUM & Hominem

JESUM CHRISTUM

Ut Electorem, ut Judicem
Ut Comitem

EUCHARISTICUM

ACCEDENTIS,

Per affectum timoris, atque ſpei vitalis Patrocinante MARIÂ.

ANTE MISSAM

EXCITATORIA

Aſpiratio.

EXcitatus à ſomno, qui mortis imago dicitur, audi vocem Angeli, ut olim cum

cum Elia vitæ pertæso, mortisque cupido, sic modò tecum colloquentis.

Surge, & comede: grandis enim tibi restat via. 3. Reg c. 19.

Tuorum deinde novissimorum, mortis scilicet ac judicii memor, sic aspira.

Moriatur anima mea morte Justorum, & fiant novissima mea horum similia! Num. c. 23.

INVITATORIA
Consideratio.

INstante Communionis tempore *Considera* te jam prope deficientem, seu viribus Peregrinum, seu patrocinio Clientem, seu gratiâ Canditatum, à Christo, tuo in vitæ decursu Comite, in salutis causa Judice, ad regni cœlestis gloriam Electore propitio, per Deiparam Matrem,

trem, aut aliam è SS. Virginibus Patronam, non ad judicium, aut laqueum, aut gladium, quo se jugulant ij, qui accedunt indignè, sed ad recipiendum cum Evcharistico illo seu Pignore viaticum, seu Chirographo decretum, seu Calculo suffragium, votis omnibus expetendum, talibus hisce verbis invitari.

Apoc. c. 22. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.*

Hinc spe firmus, metuque trepidus, pete sacram ædem, ibique tuam apud Judicem Evcharisticum Patronam, ita supplex aggredere
MARIAM.



IN-

INFLAMMATORIUS
Affectus.

1. PEr te acceſſum habeamus ad Filium, ô benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, Mater ſalutis, ut per te nos ille ſuſcipiat, ac per te nos ſuſcipiamus illum, qui per te datus eſt nobis. Noſter eſt ille cibus, noſter potus, ſpes & ſalus, & vita noſtra. Hunc mihi Virgo Mater, benedictum fructum ventris tui porrige, ut ambulem in fortitudine cibi illius, toto vitæ tempore præſentis pœnitentiæ, usque ad montem DEI, id eſt, quousq; perveniam ad altitudinem ſecuritatis, & ad ſatietatem gloriæ cœleſtis. *Bern.* *Chryſ.* *Thom. opuſc.* 52. *c.* 52.

2. Lacta Mater cibum noſtrum; cibus noſter, Caro Chri- *Aug.*

Christi: Christi Caro, tua Caro, ô MARIA. O beata prorsus ubera, quæ dum lac tenue puerilibus labris infundunt, Angelorum & hominum cibum pascunt. Manat liquor ex uberibus Virginis, & in carnem vertitur Salvatoris. Quis det de carnibus eius, ut saturemur? Quis det de sanguine Matris, ut inebriemur? Sanguinem illum ipsum, quem etiam pro Matre obtulit, de sanguine Matris accepit.

Petr. Dam.

Emiss. de nat Dom.

3. Miserere nostri Domina, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione; dumque saturaris gloriâ Filii tui, dimitte Reliquias parvulis tuis. Tu jam ad mensam Domina, nos sub mensa catelli. Sicut oculi servorum in manibus Dominæ

Psal. 122.

Guer. ser. 4. de Assumpt

æ suæ, ita nos famelici de te
ræstolamur alimoniam vi-
æ. Hanc, oro te, nobis elar-
gire, ô clemens, ô pia, ô dul-
cis Virgo Maria.

4. At unde mihi hoc, ut *Luc.*
Mater Domini mei veniat ad *c. 14.*
me, porrigatque mihi Fi-
lium suum, panem vitæ, an-
tidotum mortis, pharmacum *Ign.*
immortalitatis? Nempe ad *ep. 24*
hoc præstat immortalitatis *ad Eph.*
alimoniam, ut mortem non
timeamus ipsi nos, quibus *Ambr*
& vita cibus est, & mors in *in Ps.*
osculo Domini pro votis ac
delitiis expectatur. O mors!
ô vitâ! ô salutis osculum in
optato Corporis & sanguinis
JESU Christi poculo deli-
bandum!

5. Qui manducat & bibit *Corin.*
indignè, judicium sibi man- *c. 21.*
ducat & bibit, non dijudicans
Cor-

Chryſ. Corpus Domini. Audiamus,
Hom. & horreſcamus. Sanctâ car-
50. in ne ſuâ Chriſtus nos impertiri
Math concedit. O nos ſtupidos,
ſi non ſtupemus! ô ſtipites,
ſi non horreſcimus hæc au-
dientes! etenim non terribile
Baſil. tantùm judicium habet is,
de qui in carne & ſpiritûs inqui-
Bapt. namento ad Sancta accedit
indignè, ſed & qui otiosè, &
inutiliter ea edit & bibit.


Io. 12 6. Mulier, ecce Filius
Cant. tuus, totus quidem deſide-
rabilis, ſed judicio terribilis.
S. Sub hoc enim Sacramento
Tho. Mors eſt malis, vita bonis;
vide paris ſumptionis, quàm
ſit diſpar exitus. A judiciis
eius quis non timebit? Ve-
rumtamen ſpes mea ab uberi-
bus Matris meæ, & à vulne-
ribus fratris mei. Hinc pa-
ſcor, inde lactor, utrinque
mens

nens inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.

7. Modicæ fidei, quare dubitasti? Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Age, age mecum, ô anima mea, simul attendamus ad indicium dilectionis, & promissionis Dei. Quales arrhas accepimus? Tenemus Christi mortem, tenemus sanguinem. Si non amaret, talia pignora non daret.

Math c. 14.

Aug.



IN



IN MISSA.

JACULATORIÆ FACES Animæ Morientis.

1. *Ad Confessionem.*

Cum S. *Bonavent.*

Juste Judex ultionis,
Donum fac remissionis,
Ante diem rationis.

2. *Ad Introitum.*

Cum Iairo.

Marc c. 5. Dñe, anima mea in extremis est; veni impone manum super eam, ut salva sit & vivat.

3. *Ad Offertorium.*

Cum S. *August.*

Aug. O Dñe JESU, accipe spiritum meum, & dona mihi sacrosanctum Corpus tuum.

4. *Ad Elevationem*

Ave verum Corpus natum
Ex MARIA Virgine:
phil. 1. Cupio dissolvi, & esse tecum

5. *Ad*

5. *Ad Communionem.*

Cum Iacob moriente.

Accede ad me, Domine, & da mihi osculum pacis, antequam moriar. O utinam moriar, sicut Moyses servus Domini jubente Domino, in osculo Domini. *Gen. c. 27.* *Deut c. 34.*

6. *In Communione.*

Cum S. Bernardo.

O si viverem! ô si morerer! inter delitias uberis & lateris! lateris Christi, uberis Mariæ.

Eia latus perforatum
Undâ manans & sanguíne,
Esto mihi prægustatum,
In mortis examine.

7. *A Communione.*

Cum S. Simeone. *Luc. c. 6.*

Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace. Quidni dimittatur in pace, qui Christum Domini habet in pectore. *Bern. ser. de Purif.*

POST

POST MISSAM.

VOX LAUDIS.

Chorea ſancta Virginum,
Quæ pergis inter lilia,
Chriſtum ſecuta Virginem,
Huc in meum pectus veni.
Ibi latet Sponſus tuus,
Ibi ſedet Iudex meus,
Ibi reo parcit Deus,
Illi canamus gloriam.

Apoc. c. 14. DEmus illi honorem, quia venit hora judicii eius.

Pſal. 114. Eripuit me de morte, & pedes meos de lapſu, ut placeã corã DEO in lumine viventiũ.

pſ. 29 Convertit planctũ meum in gaudiũ mihi, conciďit ſaccum meũ, & circũdedit me lætitiâ.

Pſal. 37. Bonum eſt confidere in illo, quàm confidere in homine.

Bonum eſt ſperare in Dño, quam ſperare in principibus.

Can-

Cantemus illi Canticum novum plaudente MARIÂ.

1\. *Age Virgo, flecte Cantus,*
Age Mater ede plausus
Dignos Unigenito.

2\. *Cœli Decus, turba pura,*
Grex Sponsarum, Christi cura
Junge vocem cantico.

3\. *Tali voce captus iram*
Ponet judex, atque miram
Dabit pacem mentibus.

4\. *Pax in vita, pax in morte,*
Sors est maior omni sorte,
Quæ datur mortalibus.

5\. *Est hæc, fructus Deo dignus,*
Est æternæ vitæ pignus,
Hanc tu nobis impetra.

6\. *Surget inde tibi decus,*
Inde nobis spei locus,
Inde Christo gloria.

7\. *Ergo Mater placa Natum,* *Aug.*
Sub hoc pane nobis datum, *f. 157*
Pro via, pro Patria. *de*
Amen. *temp.*



GRATIARUM *Actio.*

GRatias ago labiis, & corde, & omni, quâ valeo, virtute, infinitæ misericordiæ tuæ, Domine Deus noster, pro cunctis miserationibus tuis, quibus mirabiliter nobis perditis subvenire dignatus es, per eundem Filium tuum Salvatorem, ac recuperatorem nostrum, qui mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justificationem nostram; & nunc vivens sine fine, sedet ad dextram tuam, & interpellat pro nobis, & simul tecum miseretur. Ipse quidem constitutus est à te Judex vivorum, & mortuorum; tu verò non judicas quemquam,

Aug. med. c. 16.

quam, sed omne judicium tuum dedisti filio tuo. Illum igitur in afflictæ Matris oculis passum, mortuumque; militis lanceâ perfossum, de Cruce depositum, in sepulchro conditum, tibi Pater, offero pro cunctis beneficiis tuis, ac præsertim, pro nostra, quam à te speramus, Electione (*hoc fusiùs recolendum, sed cum timore. Nam judicia Dei abyssus multa*) pro gloria & exaltatione beatissimæ Virginis MARIÆ, quàm nobis optimam Parentem, & Advocatam tribuere dignatus es: Sanctarum item Virginum Barbaræ N.N. & aliarum apud te Patronarum mearum. Respice igitur in faciem Christi tui, & quas pro indignissimo servo tuo gratias tibi reddit, benignus

admitte. Quem enim alium dirigam Interceſſorem tibi neſcio, niſi hunc, qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris, ut me, cui propria merita lethalem minantur ſententiam, pretioſiſſimæ ad dexteram tuam conſidentis prolis interpellatione, placatus, ipſe tu reſtituas ad vitam.

Aug. med. c. 15.

Suimet Oblatio.

Quid autem retribuam tibi, Domine Jesu, pro omnibus beneficiis tuis, quibus paſcis me à juventute mea? Feciſti me cum non eſſem, redemiſti cum periiſſem. Perieram, abieram, in peccatis venundatus eram, reduxiſti me de exilio, redemiſti de ſervitio, retraxiſti me de ſupplicio, vocaſti me nomine tuo, ſignaſti me Sanguine tuo,

Aug. sol. c. 13.

tuo, cibasti corpore tuo, unxisti me oleo tuo, ut à te Christo dicerer Christianus. Ecce tibi offero, & commendo hodie & omni tempore animam meam, Corpus meum, visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum: omnes cogitationes meas, affectiones, locutiones, actiones: omnia exteriora, sensum & intellectum memoriam meam, fidem & credulitatem meam, & perseverantiam meam, in manus potentiæ tuæ: ut custodias ea diebus & noctibus, horis atque momentis. Interim dum ausculto vocem tuam, Domine, jube quod vis, & da quod jubes (*hic audiendus in corde tuo Christus.*) *Aug. med. c. 40.*

Animi Propositum.

Aug. med. c. 9. Spes mea sola Deus, omnium viventium singulare decus, morientium unica salus, ô Sancte Spiritus, veni. Apta me tibi, & condescende propitius mihi, ut mea tuæ magnitudini exiguitas, roborique tuo mea imbecillitas secundùm multitudinem tuarum complaceat miserationum. Ecce coram te, coram Virgine Maria, Virginumque choro favente, coram hac mensa sanctissima panem viaticum gestante, *Andr. Cret. de dor Deip.* propono maiorem in vita regenda cautelam, in morte recogitanda vigilantiam, in conscientia divino judicio præparanda diligentiam, in amore Deiparæ cultuq; constantiam adhibere. Statuo de-

denique vitium N. fortiter impugnare, & virtutem N. pro meis viribus exercere. Tu mihi da robur mortis ad usque diem.

Septem Petitiones.

Protector vitæ meæ, clementissimæ Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, & per ultima Filii tui languentis in Cruce verba, morientis à te suspiria, sepulti pro me viscera, te oro; I.
ne nos inducas in tentationem carnis, mundi, diaboli, tuam gratiam tollendo, tuam dulcem præsentiam subtrahendo, occasionem peccati permittendo: ut ne unquam obdormiam in morte, ne Ps. 12
quando dicat inimicus meus: prævalui adversus eum. Da II.
vivificam S. Gabrielis Archangeli tui, Virginis Dei-

paræ Paranymphi, coram te ſemper aſſiſtentis, Angeliq́ꝫ Cuſtodis mei ſalutem, ut per eam optatum in vita ſolatium, in morte viaticum, in purgatorio refrigerium obtineam, Amen.

O Domine JESU accipe ſpiritum meum: Vita mea ſuſcipe animam meam: Gaudium meum attrahe cor meum: Dulcis cibus comedam te, viaticum meum, ut perveniam ad te finem meum. Concede mihi ſic cuſtodire, & regere, & finire vitam meam, ut in pace dormiam, & in te quieſcam. Præſta mihi in finem, ut me excipiat ſomnus cum requie, requies cum ſecuritate, ſecuritas in æternitate. Da mihi pro vivis atque defunctis orare, mortuosq́ue ſepelire, da cunctis

Aug. med. c. 1.

Aug. med. c. 10.

III.


fide-

fidelibus in te Domino Deo suo morientibus, & sacrum piè Viaticum sumere, & extremæ unctionis fructum percipere: Ut hoc gemino vitæ, mortisque præsidio muniti, fortunatum peregrinationis nostræ cursum, exitumque consequamur, Amē. IV. Conci Trid.

Te quoque, sanctissime spiritus, oro, per SS. Virginum suffragia; reseca in me otiositatem, somnolentiam, & pigritiam, ut per bona opera certam meam vocationem & electionem faciam. Da studium Orationis Evangelicæ, ut orem spiritu, orem & mente; psallam spiritu, psallam & mente. Da mihi denique donum Timoris Domini, eoque confige carnes meas. V. Petr. ep. 2. c. 1. VI. cor. c. 14. VII.

Hæc eadem, ô beata Trinitas, à te poſtulo pro Agonizantibus ac moribundis Chriſtianis, ac præſertim pro N. N. ut cum debito timoris atque ſpei vitalis augmento, tandem moriatur anima noſtra morte Juſtorum. *Num c. 23.*

Regina Virginum ora pro nobis, & impetra vivis veniam & gratiam, moribundis opem & viaticum, defunctis requiem & gloriam ſempiternam, Amen.



EV-

EVCHARISTICÆ MENSÆ

RELIQUIÆ

diurnas ad Horas addictæ

Myſtæ mortem cogitanti.

Benedictæ Reliquiæ tuæ. *Deut. c. 28.*

S. EVCHARISTIA *eſt*,

1. Vita, & antidotum mortis. *Aug. Igna. mart.*

1. *Quid moror in terris, ubi Mors ferit undique vitam?*
Fallor; in Altari Vita Necem jugulat.

2. Poculum vitæ ac pacis per MARIAM exhibitum. *Tetr. Dam. ser. 2. de nat*

2. *Quis mihi det Calicem Vitæ paciſque Beatæ?*
Virgo MARIA dedit, Virgo MARIA dabit.

3. Menſa terribilis. *Chriſ. ho. 2. in.*

3. *Terribilis me menſa vocat, ſontemque repellit.*

Insontem revocat, delitiisque replet.

Chry. ho. 83 in Mat. 4. Calix horrore plenus,

4. *Plenus hic est horrore Calix, quem reprobus haurit;*
Plenus amore Calix, quem bibit ore probus.

S. Fran. Salef. ep. 34 5. Divinum Epitema.

5. *Contra vim mortis, non est medicamen in hortis:*
Sacrum Epitema datur, ne crimine mens moriatur.


Bern. de dig sacer. 6. Diæta peregrinantium.

6. *Ad Cœlum propero: cor deficit inter eundum;*
Macte, Viatori Sacra Diæta datur.

Paulin. in Vit. Aug. 7. Viaticum bonum.

7. *Fors tibi restat adhuc via longa; viaticum ab Ara*
Sume Bonum; hoc vires præsidiumq; feret.

AD



AD

EXERCITIUM VII.

SACRÆ MYSTARUM

Hebdomadæ.

DIES SEPTIMUS.

DEO. O. M. & SS. Omnibus

CONSECRATUS.

VOlumus quidem pervenire ad Regnum DEI; ſed, per mortem nolumus: *In pſ. 30.* inquit Auguſtinus. Quomodo igitur, niſi per vitam? Vocant autem punici vitam SS. Evchariſtiæ Sacramentum. Atenim, reponit idem S. Auguſtinus, mutet vitam, quis quis vult accipere vitam. Nam ſi non mutet vitam, ad *Ibid.* judicium accipiet vitam, & ma-

magis ex ipſa corrumpitur, quàm ſanatur, occiditur, quàm vivificatur. Ad hanc igitur vitam feliciter aſſequendam, per affectum unionis cum DEO, deſideriumque Paradiſi, *Septimum* hoc nobis proponitur *Exercitium*, ipsâ die Dominicâ perficiendum. Eſt enim Dominica dies DEO Optimo Maximo & Sanctis omnibus colendis ſpecialiter dedicata; eſt Evchariſtiæ, per quam unimur Chriſto, frequentandæ præcipuo jure deſtinata; eſt excitando, per hoc futuræ gloriæ pignus, Paradiſi deſiderio præ cæteris accomodata. Aliis quoque diebus uſurpari poterit ad arbitrium Communicantis, ut cum omnium virtutum apparatu Præmiatorem, ac Spon-

Sponſum ſuum JESUM Chriſtum devotè ſuſcipiat. Rem totam illuſtrat appoſitum cordis & annuli, duos inter magneticos Agnos ſuſpenſi, & utrinque mirabiliter uniti Symbolum.





IN SYNAXIM
ANIMÆ DEO UNITÆ
Septenarium diſtichon.

1. *DUm mea mens ſacro ſuper ara paſcitur Agno,*
Hæc ait, æthereo jam liquefacta cibo.

2. *O mihi quis tribuat ſociis ſociam eſſe beatis,*
Quos DEUS in Cœna jungit utrinque ſua!

4. *Seu quibus in terra poſitis datur Agnus edendus;*
Seu quibus in Cœlis Agnus & eſca datur.

4. *Ag-*

4. Agnus hic est Superis, nec non
Mortalibus idem,
Sponsus utrinque DEUS, qui
fuit antè Cibus.

5. O DEUS! ò Sponsus! mihi
qualia pocula misces!
O quibus! ô quantis gestio
deliciis!

6. Cor salit inde mihi, sponsoq;
unitur & Agno,
Christe tibi junctum san-
guine, carne, fide.

7. Non secus ac ferrum magneti
unitur utrinque
Suprà, infrà positum; sic ti-
bi jungor ego.

EXEMPLA.

TAlibus ipsa quondam affluens deliciis, incensa desideriis, constricta vinculis, Sanctorum omnium Regina Mysticum illum Agnum appetebat; talibus eum sæ-

sæpe, dum vixit, ut pabulum; ſemel cum obiit, ut viaticum; æternùm cum reſurrexit, ut præmium ſuſcepit. His etiam motus affectibus S. Benedictus ad Eccleſiam deferri voluit, ubi juxta ſepulchrum ſex ante mortem diebus ſibi aperiri juſſum, Evchariſtiam ſumpſit, & inde cœleſtes ad Nuptias animam, viâ lampadibus latè fulgentibus clarâ, transferendam emiſit. Deniq; S. Bruno de Cella in Cœlum migraturus, Evchariſticâ ſe fide & carne munivit, eaque veluti machinâ ſublatus, ad meritam gloriæ ſedem, ipsâ die Dominicâ conſcendit. Tum verò primaria illa, de ſeptem, quas viderat S. Hugo ſuos ad pedes corruentes ſtellas, ſuo Stella Cœlo tandem reſtituta eſt.

Laur. mezel

In eius Vita.

In Vita apud Sur.

EXER-



EXERCITIUM VII.

ANIMÆ DEO UNITÆ

Ad DEUM & Hominem

JESUM CHRISTUM

Ut Glorificatorem, ut Sponsum, ut Præmiatorem

EUCHARISTICUM

ACCEDENTIS,

Per affectum unionis deificæ, & Paradisi desiderium.

ANTE MISSAM

EXCITATORIA

Aspiratio.

MATUTINO suscitatus è somno festivam audi quasi vocem turbæ magnæ de Cœlo dicentis.

Alle-

Alleluia. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam DEO,
Apoc. c. 9. *quia venerunt Nuptiæ Agni, & uxor eius præparavit se.*

Tum erectis in Cœlum oculis, sic lætabundus aspira.

Quàm dilecta tabernacula tua
Ps. 83 *Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.*

INVITATORIA

Consideratio.

VOcatus ad Sacram Synaxim *Considera* te virum desideriorum, suspirantem hodie ad expetitam sive in hac vita de salutis tuæ hostibus victoriam, sive in æterna felicitate lauream, sive Empyreo super thalamo deificiam Unionem, â Christo tuo munificentissimo Præmiatore, beatissimo Glorifica-

catore, suavissimoque Sponso, per unum aliquem de septem Angelis Paranymphum, ad Agni Cœlestis Nuptias deliciis, honore gloriâque conspicuas, his vocibus invitari.

Et Spiritus, & Sponsa dicunt: veni. Et qui sitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ, gratis. *Apoc. c. 22.*

Horum captus desiderio bonorum, quorum pignus in Evcharistico seu tholo, seu throno, seu toro suscepturus es, templum ingredere, ibique fervidis cum Christo colloquiis inflammare.

INFLAMMATORIUS
Affectus.

1. DUlcissime, amantissime, benignissime, charissime, pulcherrime, quan- *Aug. med. c. 37.*

quando te videbo? Quando apparebo ante faciem tuam? Quando ſatiabor de pulchritudine tua? Certè quidem nihil mihi tam dulce, quàm cum Domino meo eſſe. Mihi enim adhærere DEO bonum eſt. Sed quoniam, dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino; da quæſo, da mihi ſaltem donec his fragilibus aſſiſto membris, tibi per Evchariſticum vinculum adhærere. Nam qui tecum ſic adhæret, tecum unus ſpiritus eſt.

Joan. c. 7. 2. Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Hæc ſunt verba tua, Domine JESU, quæ me deſiderantem, ſitientem, anhelantem ad te, conſolantur & erigunt. *Aug. in loc. c. 41.* Illud enim bibere, quid eſt niſi vivere, manducando vitam, bibendo

lo vitam. Et hoc Sacramentum quid est, nisi relictum à te de tua contristatis absentia solatium? Nunc igitur hoc ferculo pasce me; hoc poculo inebria me, hoc solatio conforta me in vitam æternam. *S. Th. opusc. 57.*

3. Ut qui sitit, ad aquam; qui currit, ad metam; qui certat, ad victoriam; ita desiderat anima mea ad te Deus: O Christe desiderium meum, desiderium collium æternorum, fons vitæ, corona gloriæ, & sertum exultationis meæ. Ad te suspiro, in te omnia spero, de te autem quid non expecto? Ah bone JESU! qui te manducandum dedisti, quid tuum denegare poteris in futurum? *Ps. 41* *Isai. c. 18.* *Petr. Dam.*

4. Sub umbra illius quem desideraveram sedi, & fructus *Cant. c. 2.*

ctus eius dulcis gutturi meo. O fructus! ô dulcis fructus! ô vitæ fructus, JESU Christi Corpus, valens ad destructionem gehennæ, & acquisitionem vitæ æternæ. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia huius Evcharistici fructus amore langueo.

S. Th. opusc.

5. Beati qui ad Cœnam nuptiarum Agni vocati sunt! sed & ô beata Anima, cui Sponsus ipse Christus, pro amoris pignore, proque fœdere maritali, Corporis & Sanguinis sui Sacramenta concessit, ut non solùm Spiritu, verùm etiam essent duo in carne una.

Apoc. c. 19. Laur. Iusti.

6. Videbitur DEUS Deorum in Sion, in illa Civitate, ubi DEUS Panis est, ubi quidquid amabas manducare, & bibere, ipse tibi erit cibus, ipse

Aug. in ps. 17.

ipse tibi erit potus. Ita quidem spero; sed interea comedam hîc favum cum melle meo, bibam vinum meum cum lacte meo. *Cant. c. 5.*

7. Quæsivi illum, & non inveni, ô inveniam te desiderium cordis mei; teneam te, amor animæ meæ? Amplectar te sponse cœlestis; possideam te beatitudo sempiterna, possideam te in medio cordis mei. *Cant. c. 3.* *Aug. sol. c. 1.*





IN MISSA

Jaculatoriæ Faces Animæ Deo unitæ.

1. *Ad Confeſſionem.*

Cum Ieremia.

Thre. c. 3. Memoriâ memor ero peccati mei, & in me tabeſcet anima mea.

2. *Ad Introitum.*

Cum S. Ioan.

Apoc. c. 22. Beati qui lavant ſtolas ſuas in ſanguine Agni, ut per portas intrent in Civitatem.

3. *Ad Offertorium.*

Cum S. Cæcilia.

in Offic. Fiat, ô Domine, fiat cor meum & corpus meum immaculatum, ut non confundar.

4. *Ad Elevationem.*

Cum Sephora.

Exod. c. 4. Sponſus ſanguinum tu mihi es. Sponſabo te mihi in æternum.

5. *Ad*

5. *Ad Communionem.*

Cum Sponsa divina.

Osculetur me osculo oris sui; quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis. Exultabimus, & lætabimur in te memores uberum tuorum super vinum. *Cant. c. 1.*

6. *In Communione.*

Cum S. Bernard.

Quod quæsivi, jam video; *in*
Quod concupivi teneo; *Iubi-*
Amore JESU langueo, *lo.*
Et corde totus ardeo.

7. *A Communione.*

Cum S. Thom. Aq.

O qui cuncta scis & vales,
Qui nos pascis hîc mortales, *in*
Tuos JESU commensales, *Ryth.*
Cohæredes, & sodales *Evch.*
Fac Sanctorum civium.
Amen.

POST MISSAM

Vox Laudis.

O nupta sorte prosperâ
Cœlestis Urbs Jerusalem.
Regina formosissima,
Christo jugata Principi.
Dum nuptiali Cœlitum
Semper resultas carmine,
Deumq; Trinum & unicum
Jugi canore prædicas;
Misce tuis concentibus
Quas ore voces fundimus;
Canendo jungemur tibi,
Almæ Sionis Æmuli.

Dicamus pariter: Gloria Patri, qui creavit nos; Gloria Flio qui redemit nos; Gloria Spiritui Sancto, qui sanctificavit nos. Gloria summæ Trinitati, cuius opera inseparabilia sunt, cuius imperium sine fine manet.

Aug. med. c. 33.


Sine fine perge Sion
intonare Cantica; *Ag-*

Agni Cœnam, lectum, Sponsam,
Nuptiasq; persona,
Tali sono gaudent Cives
utriusq; patriæ,
Atque cum Angelis sanctæ
recreantur animæ.
Fœlix ego, si post istud
probatus exilium,
Tali consequi merebor
sine fine gaudium.

Sic me interim solabor, & canam.

Quocunque loco fuero,
Mecum JESUM desidero,
Quàm lætus cùm invenero! S. Bern.
Quàm felix cum tenuero!
Tunc amplexus, tunc oscula,
Quæ vincunt mellis pocula,
Et lauta Regum fercula,
Sed in his parva morula;

Donec aspiret dies æternitatis, & inclinentur umbræ sæculi, O sæculum velut umbra fuge; Æternitati cede. Cant. c. 4.



GRATIARUM
Actio.

GRatias ago tibi, Pater Æterne DEUS, pro Resurrectione Filii tui, pro
Aug. med. c. 14. Ascensione eius in Cœlum, & sede Maiestatis eius ad dexteram tuam. Ipse namque humanam, non Angelicam suscipiens naturam, & eam stolâ sanctæ Resurrectionis & immortalitatis glorificans, vexit super omnes
& c. 15. Cœlos, super omnes choros Angelorum, super Cherubim & Seraphim, collocans ad dexteram tuam. Hanc autem laudant Angeli, adorant Dominationes, & omnes Virtutes Cœlorum tremunt super se hominem DEUM. Hæc nempe mihi to-

tota est spes, omnisque fiducia. Est enim in ipso Jesu Christo Domino nostro uniuscuiusque nostrum portio, caro & sanguis. Ubi ergo portio mea regnat, ibi me regnare credo. Ubi caro mea glorificatur, ibi gloriosum me esse cognosco. Ubi sanguis meus dominatur, ibi dominari me sentio. Quamvis enim peccator sim, de hac Communione gratiæ non diffido; & si delicta mea me excludunt, naturæ communio non repellit. Habemus enim sanguinis prærogativam in ipso. Illum igitur in Cœlis regnantem, Sanctorum agmina glorificantem, æternæ beatitudinis sedes disponentem, offero divinæ Maiestati tuæ, pro cunctis erga me beneficiis tuis, ac no-

nominatim pro Glorificatione, quàm à te per Jesu Christi gratiam expectamus, (*fusiùs hæc recolenda felicitas, cuius hæc est mensura, quæ est sine mensura. Quod enim expectamus à DEO, non est nisi DEUS*) pro gloria & exaltatione Sanctorum omnium in cœlesti tecum patria regnantium, ac pro me grates agentium.

Bern.

Aug.

Suimet Oblatio.

Aug. med. c. 15. Sed quid tibi retribuere possumus, Deus noster, pro tantis beneficiis misericordiæ tuæ? Quales laudes, quasvè gratiarum actiones? Etiamsi illa beatorum Angelorum scientia nobis foret, nihil tamen dignum tantæ pietati ac bonitati tuæ recompensare valeremus. Si certè omnia membra nostra verterentur in linguas, ad rependendum tibi

tibi debitas laudes, nequaquam sufficeret exiguitas nostra: Supereminet enim omnem scientiam inæstimabilis charitas, quàm ostendisti nobis indignis, pro sola bonitate, ac pietate tua. Quoniam igitur nihil melius occurrit, offero tibi laudes & hymnos, gloriam & honorem, decus & cantica, quæ tibi sancti & humiles corde, quæ tibi spiritus & animæ justorum, quæ tibi omnes superni cives, & cuncti Beatorum Spirituum ordines suppliciter adorantes concinunt sine fine. Has inter voces fac me, Domine, audire vocem tuam non foris sonantem, sed intus loquentem (*Audiendus hoc loco Christus.*) *Nam ut ait Gerson; Beata anima, quæ Dominum in se loquentem au-* *dit,*

Aug. med. c. 35.

Imit. Christ l. 3. c. 1.

dit, & de ore eius, consolationis verbum accipit. Beatæ aures, quæ venas divini susurri suscipiunt.

Animi Propositum.

Tu autem ô Sancte Spiritus, dulcis hospes animæ, *Aug. med. c. 9.* saucia interioris hominis arcana, tui amoris jaculo, & tepentis jecoris medullas flammis salutaribus accende, sanctique fervoris igne illustrando mentis & corporis universa depasce. Pota me torrente voluptatis tuæ, ut nihil jam mundanorum degustare libeat venenatæ dulcedinis. Interim coram te, *Greg. Nyss. in Cant.* coram universa Cœli Curia, coram hoc sacrosancto Mysteriorum Thalamo, ad consummandas Christi nuptias adornato, firmiter propono ter-

terrena despicere, & amare cœlestia, quatenus adhæream semper & unicè DEO meo, Sponso meo, JESU meo. Volo deniq́ue ac statuo vitium N. fortiter impugnare, & virtutem N. pro viribus exercere. Tu merito palmam dabis, imponesq́ue coronam.

Septem Petitiones.

O DEUS vera & summa vita, à quo, per quem & in quo vivunt omnia, quæcunque verè & beatè vivunt; ego te per unigeniti Filii tui, unà tecum & Spiritu Sancto in cœlesti regno triumphantis merita precor; libera nos à malo præterito, præsenti & futuro, ut ad eum, quò tendimus, æternæ beatitudinis portum feliciter perveniamus. Da mihi perpetuum SS.

Aug. med. c. 32.

I.

II.

SS. ſeptem Angelorum, quibus in conſpectu tuo ſemper aſtantibus datæ ſunt ſeptem tubæ canendis Agni laudibus deſtinatæ, Angelique mei Tutelaris conſortium, ut unà cum tuis in Cœlo famulis gloriam, ſocietatemque merear ſempiternam, Amen.

Apoc. c. 8.

Te conſubſtantialem Patri Filium, per Ingenitum Patrem oro; da mihi, ut amem te ſemper, quantum volo, & quantùm debeo, ut tu ſolus ſis tota intentio mea, & omnis meditatio mea. Te mediter per dies ſine ceſſatione, te ſentiam per ſoporem, in nocte te alloquatur ſpiritus meus, tecum fabuletur mens mea. Lumine ſanctæ viſionis tuæ illuſtretur cor meum, ut te rectore, te duce ambulem de virtute in virtutem, tan-

Aug. med. c. 15.

tandemque videam te DEUM Deorum in Sion. Da mihi posse consolari eos, qui in omni pressura sunt, potumque sitientibus dare, propter te, qui sitienti mihi das toties de fonte aquæ vitæ, gratis. Da conjugatis sanctimoniam, DEO dicatis continentiam, cæteris Christianis integram castitatem, Amen.

III. *2. cor. c. 1.* *Apoc. c. 21.* *IV.*

Ad extremum, ô vivificans & Sancte Spiritus, te per ego Patrem & Filium, perque Sanctorum omnium suffragia precor. Extingue in me desideria carnis, & accende ignem tui amoris. Da Castitatis Evangelicæ studium, ut castigem corpus meum, & in servitutem redigam. Da mihi denique donum Pietatis, ut piè vivens in hoc sæculo, regnare merear in futuro, Amen.

V. *Aug.* *VI.* *1. cor. c. 9.* *VII.* *Tit. c. 2.*

Hæc

Hæc eadem, ô beata Trinitas, à te poſtulo, pro univerſis Evchariſtiæ Cultoribus, ac nominatim pro N. N. ut cum debito bonorum omnium incremento *Sacrum* conſecuti *Septenarium*, vitam quoque conſequamur æternam, Amen.

ReginaSanctorum omnium ora pro nobis & impetra vivis veniam, & gratiam; moribundis opem & viaticum; defunctis requiem & gloriam ſempiternam, Amen.



IN

EVCHARISTICI AGNI

RELIQUIÆ

diurnas ad Horas destinatæ

Mystæ Unito Deo.

Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. Psal. 75.

S. EVCHARISTIA *est.*

1. Salus animarum. Dyô. c. 1.

1. *Si tibi cura salus, Mensam hanc curare memento:* Hier.
Mystica Mensa Deus, Mystica Mensa salus.

2. Portio vitæ æternæ. Cypr. ser. de Evch

2. *Si datur exulibus divinæ portio vitæ,*
Regni Consortes portio quanta manet?

3. Thalamus Christi. Greg. Nyss. in cant

3. *Christus adest recubatq; thoro; thorus Evcharis ad se.*
Te vocat & Sponsus: Sponsa parata veni.

4. Arr-

S. in Off Corp. Chr. — 4. Arrha seu pignus futuræ gloriæ.

4. *Jus dedit ad Cœlum, qui Cœli tradidit Arrham:*
Arrham hanc Ara dedit; Jus dedit ergo mihi.

S. Opta. l. 6. — 5. Spes Resurrectionis.

5. *Spes alit Agricolas, alit & me spesq; fidesq;:*
Spes innixa DEO, sanguine pacta fides.

S. Ign. Mart — 6. Moneta Christi.

6. *Quæ tibi pro merito merces optanda labore est;*
Hanc tibi dat Christi sacra moneta pio:

S. Bern. de Aq. — 7. Totius boni plenitudo.

7. *Evcharis haud tantùm Cibus est, Fons, Lumen, & Ignis.*
Victima, Vita, Salus; Evcharis omne bonum est.



OF-



OFFICIUM PARVUM SS. SACRAMENTI

Septenas in Horas distinctum.

Septies in die laudem dixi tibi. Psal. 118.

ORATIO PRÆPARATORIA

Ante Officium dicenda.

OREMUS.

COncede, quæsumus, Omnipotens DEUS, ut & sacri perceptio Sacramenti continua in nostris mentibus perseveret, & per hoc piæ devotionis Officium, ad cœlestem gloriam transeamus. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

AD

AD MATUTINUM.

Laudetur Sanctissimum Evcharistiæ Sacramentum.

DOmine labia mea aperies. Et os meum annunciabit laudem tuam.

Deus in adjutorium meum intende.

Domine ad adjuvandnm me festina.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio,&c.

HYMNUS.

SAcris solemniis juncta sint
gaudia,
Et ex præcordiis sonent præ-
conia,
Recedant vetera, nova sint
omnia,
Corda, voces & opera.

Antiphona.

O Quàm ſuavis eſt, Domine, Spiritus tuus! qui ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares, Pane ſuaviſſimo, de Cœlo præſtito, eſurientes reples bonis, faſtidioſos divites dimittens inanes.

℣. Panem Cœli dedit eis.

℟. Panem Angelorum manducavit homo.

OREMUS.

DEUS, qui nobis ſub Sacramento mirabili, paſſionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue quæſumus, ita nos Corporis & Sanguinis tui ſacra Myſteria venerari, ut Redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritus ſancti DEUS. Per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

AD PRIMAM.

Laudetur ſanctiſſimum Evchariſtiæ Sacramentum.

DEus in adjutorium meũ intende, &c. pag. 210.

HYMNUS.

NOctis recolitur cœna noviſſima
Quâ Chriſtus creditur Agnum & azyma
Dediſſe fratribus, juxta legitima
Priſcis indulta Patribus.

Antiphona.

PInguis eſt panis Chriſti, præbebit delitias Regibus.

℣. Cibavit eos ex adipe frumenti.

℟. Et de petra, melle ſaturavit eos.

OREMUS.

DEUS qui nobis ſub Sacramento mirabili, &c pag. 211:

AD

AD TERTIAM.

Laudetur ſanctiſſimum Evchariſtiæ Sacramentum.

DEus in adjutorium, &c. Domine ad, &c. p. 210.

HYMNUS.

POſt Agnum typicum expletis epulis,
Corpus Dominicum datum diſcipulis
Sic totum omnibus quod totum ſingulis
Eius fatemur manibus.

Antiphona.

SApientia ædificavit ſibi domum, miſcuit vinum, & poſuit menſam.

℣. Educas panem de terra.

℟. Et vinum lætificat cor hominis.

OREMUS.

DEUS qui nobis ſub Sacramento mirabili &c. pag. 211.

AD

AD SEXTAM.

Laudetur ſanctiſſimum Evchariſtiæ Sacramentum.

DEus in Adjutorium, &c. Gloria Patri, &c. p. 210.

HYMNUS.

DEdit fragilibus Corporis ferculum
Dedit & triſtibus ſanguinis poculum,
Dicens accipite, quod trado vaſculum,
Omnes ex eo bibite.

Antiphona.

Qui manducat meam carnẽ & bibit meum Sanguinẽ, in me manet, & ego in eo.

℣. Panẽ de cœlo præſtitiſti eis.
℟. Omne delectamentum in ſe habentem.

OREMUS.

Deus qui nobis ſub Sacramento mirabili, &c. pag. 211.

AD

AD NONAM.

Laudetur sanctissimum Evcharistiæ Sacramentum.

DEus in adjutorium, &c.

HYMNUS.

SIc Sacrificium istud instituit
Cuius Officium comitti voluit
Solis Presbyteris, quibus sic congruit
Ut sumant & dent cæteris.

Antiphona.

O Sacrum convivium in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis eius, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

℣. Paratur nobis Mensa Dñi.
℟. Adversus eos qui tribulant nos.

OREMUS.

DEUS qui nobis, &c. p. 211.

AD

AD VESPERAS.

Laudetur ſanctiſſimum Evchariſtiæ Sacramentum.

DEus in adjutorium, &c. Gloria Patri, &c. p. 210.

HYMNUS.

PAnis Angelicus fit panis hominum,
Dat panis Cælicus figuris terminum,
O res mirabilis! manducat Dominum
Pauper ſervus & humilis.

Antiphona.

HIc eſt Panis de Cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur.

℣. Poſuit fines ſuos pacem.
℟. Et adipe frumenti ſatiat te.

OREMUS.

DEus qui nobis ſub Sacramento mirabili, &c. pag. 211.

AD

AD COMPLETORIUM.

Laudetur ſanctiſſimum Evchariſtiæ Sacramentum.

CONverte nos Deus ſalutaris noſter.

Et averte iram tuam à nobis.

Deus in adjutorium, &c.

HYMNUS.

TE trina Deitas, unaque poſcimus,
Sic nos tu viſita, ſicut te colimus
Per tuas ſemitas, duc nos quo tendimus
Ad lucem quam inhabitas,

Antiphona.

EGo ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi: Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum.


℣. Vincenti dabo manna abſconditum. ℟. Et nomen novum. Orem. Deus qui, &c.

COMMENDATIO
poſt Officium
recitanda.

HAs Horas ſic recolo piâ
ratione,
Tibi, Corpus Domini, ut
Confeſſione,
Contritus, & prævia ſatisfa-
ctione,
Valeam te ſumere cum de-
votione, Amen.

OREMUS.

COncede, quæſumus, Omnipotens DEUS, ut & ſacri perceptio Sacramenti continua in noſtris mentibus perſeveret, & per hoc piæ devotionis Officium ad cœleſtem gloriam transeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.



LITANIÆ SS. SACRAMENTI.

KYrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de Cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miſerere nobis.
Panis vivus, qui de Cœlo deſcendiſti, Miſerere nobis.
Deus abſconditus & Salvator, Miſerere nobis.

Sacramentum Electorum,
Vinum germinans Virgines,
Panis pinguis & delitiæ Regum,
Juge Sacrificium,
Oblatio munda,
Agnus absque macula,
Mensa purissima,
Angelorum esca,
Manna absconditum,
Memoria mirabilium Dei,
Panis supersubstantialis,
Verbum caro factum,
Habitans in nobis,
Hostia sancta,
Calix benedictionis,
Mysterium Fidei,
Præcelsum & Venerabile Sacramentum,
Sacrificium omnium sanctissimum,

} Miserere nobis.

Ve-

Verè propitiatorium pro vivis & defunctis,
Cœleste antidotum quo à peccatis præservamur,
Stupendum supra omnia Miraculum,
Sanctissima Dominicæ Passionis commemoratio.
Donũ transcendens omnem plenitudinem.
Memoriale præcipuum divini amoris,
Divinæ affluentia largitatis,
Sacro sanctum & augustissimum Mysterium,
Pharmacum immortalitatis,
Tremendum ac vivificum Sacramentum,
Panis omnipotentiâ Verbi caro factus,

Miserere nobis.

Incruentum Sacrificium,
Cibus & conviva,
Dulcissimum convivium, cui Assistunt Angeli ministrantes,
Sacramentum pietatis,
Vinculum charitatis,
Offerens & oblatio,
Spiritualis dulcedo in proprio fonte degustata,
Refectio animarum sanctarum,
Viaticum in Domino morientium,
Pignus futuræ gloriæ,

} Miserere nobis.

Propitius esto, parce nobis Domine.

Propitius esto, exaudi nos Domine.

Ab omni malo, Libera nos Domine.

Ab indigna Corporis & Sanguinis tui susceptione, Libera nos Dñe.

A

A concupiſcentia carnis,
A concupiſcentia oculorum.
A ſuperbia vitæ,
A peccandi occaſione,
Per deſiderium illud, quo hoc Paſcha cum diſcipulis manducare deſideraſti,
Per ſummam humilitatem quâ diſcipulorum pedes laviſti,
Per ardentiſſimam charitatem quâ hoc divinum Sacramentum inſtituiſti.
Per Sanguinem tuum pretioſum quem nobis in altari reliquiſti,
Per quinque Vulnera huius tui Corporis ſacratiſſimi, quæ pro nobis ſuſcepiſti,

} Libera nos Domine.

Pec-

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Ut nobis fidem, reverentiam, & devotionem huius admirabilis Sacramenti augere, & conservare digneris.

Ut ad frequentem usum Evcharistiæ per veram peccatorum Confessionem nos perducere digneris.

Ut nos ab omni hæresi, perfidia, & cordis cæcitate liberare digneris.

Ut sanctissimi huius Sacramenti pretiosos ac cœlestes fructus nobis impertiri digneris,

Ut in hora mortis cœlesti viatico nos confortare, & munire digneris,

} Te rogamus audi nos.

Ag-

Agnus Dei qui tollis peccata Mundi, Parce nobis Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata Mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata Mundi, Miserere nobis.

Christe audi nos,

Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

OREMUS.

DEUS, qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue quæsumus, ita nos corporis & sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus.

Qui vivis & regnas &c.

A D

AD CHRISTUM JESUM
Servi humilis
PERORATIO.
l. 4. c. 11. de Imit. Chr.

ADjuvet nos gratia tua, Omnipotens DEUS, ut qui Officium Sacerdotale suscepimus, dignè ac devotè tibi in omni puritate & conscientia bona æmulari valeamus. Et si non possumus in tanta innocentia vitæ conversari, ut debemus; concede nobis tamen dignè flere mala, quæ gessimus, & in Spiritu humilitatis, ac bonæ voluntatis proposito, tibi ferventiùs de cætero deservire. Ideoque Domine JESU,

Da tuis fidelibus,
In te confidentibus,

SACRUM SEPTENARIUM.

FINIS.

